# PRAESAGIA ET INSIGNORA ALIQUOT GESTA PONTIFICUM ROMANORUM, QUI…

Francesco Maria Maggio

# PRAESAGIA

ET INSIGNIORA ALIQVOT GESTA

# PONTIFICVM

## ROMANORVM,

QVI SECVLO XVI. ET XVII. FLORVERVNT;

EX GRAVIBVS AVCTORIBVS HAVSTA.

QVÆ

D. FRANCISCVS-MARIA MAGIVS,
Clericus Regularis Panormitanus,

*Sanctissimæ Deiparæ MARIÆ Virgini,
immaculatè Conceptæ,*

EXIMIOQVE EIVS CVLTORI,

*EMINENTISSIMO ET REVERENDISS. PRINCIPI*

ALDERANO CYBO

S. R. E. CARDINALI

D. D. D.

NEAPOLI,
Apud Nouellum de Bonis, Impressor. Archiep. 1677.

*Superiorum permissu.*

AD SANCTISSIMAM

ET AVGVSTISSIMAM

# DEI MATREM MARIAM VIRGINEM

## Immaculatè Conceptam.

*Ecce Te, ò sanctissima Dei Mater, vt Mundi Cælique Dominam, & Reginam, Patronam peccatorum, sed ab omni labe prorsus immaculatam, reuerens, & opem tuam implorans, recognosco, fateor, & adoro: rursumque hodiè in Tutelarem specialissimam eligo; ac me Tibi humillimè & ex corde omninò submitto: & hoc qualecunque Opusculum, tametsi parum elucubratum, nec bene comptum, studiosissimè offero: & vnà cum libello me totum, ac quicquid habeo & possum, omninò consecro & dono. Vtinam Filium tuum & Te colam & amem in posterum, vti debeo! Vtinam Filio tuo & Tibi, vti debebam, toto vitæ meæ tempore, inseruiuissem! Sed virilem iam ætatem excessi, & ad ægram senectutem perueni: & grauis annis, ac etiam peccatis onustus, nullam hactenùs heu virtutem adeptus sum: & ad mortem, quam, vitæ huius pertæsus, ferè quotidie tamen cupio, maximè omnium videor imparatus. Ad te, ergo, peccatorum omnium Asylum, confugio: &, vt obtineam à Filio tuo Contritionem ac Veniam, tuæ immaculatæ Conceptionis Habitu inuoluor. Tu mihi in vita & in morte adsis, ad suscipiendam Animam meam, vt æternùm illud decantare possim:* Laudetur sanctissimum Sacramentum; & benedicta sit semper ab omnibus B. Mariæ Virginis Puritas, & immaculata Conceptio!

# EMINENTISSIME
# PRINCEPS.

A Sanctissima & Beatissima Deipara non discedo, cùm te Cultorem eius eximium interpello: cui, grati animi causa, dicatum illi hunc meum etiam libellum offero & dono, à tua illa admirabili humanitate summè deuinctus, qua proximis Comitijs, nostrorum Patrum Cœtui, tanta istic beneuolentia, destinatus à Beatissimo Põtifice præfuisti, vt tuæ penè dignitatis ac maiestatis oblitus, velut vnus ex nostris hominibus, promouendi Ordinis cupidissimus, interfueris: tuoque studio referimus sanè omnes acceptum, Præpositum Generalem, mira omnium consensione creatum, P.D. Placidum Vicecomitem; virum quidem splendore generis, vitæ integritate, ac literarum etiã eruditione clarissimũ: quo nullus alius aptior & opportunior hodiè nostro Ordini contingere potuisset: & quem tu apud sanctissimum Pontificem ipsum, multarum laudum præconio, effusissimè commendasti. Quod verò immaculatæ Conceptionis Scapulare à me missum, è P.D. Petri Pauli Nobilionis Generalis Expræpositi manu, summa animi pietate susceperis ac indueris, studioseque quæsieris libellulos meos, id tuæ virtutis solùm præstantiæ est adscribendũ. Quamobrẽ hìc librorũ Autores imitari non debeo: qui cùm Principibus viris aliquod opusculum nuncupant, Familiarum splendorem, Auorum gloriam, & præclarè domi bellique gesta studiosissimè numerant & extollunt. His quippè lenocinijs, quæ pronis auribus, lætisque oculis, ab omnibus passim excipi solent: & quibus ij facilè ipsorum gratiam ineunt, & familiaritatem adipiscuntur; Tu, qui omnem inuidiam planè superas, nec oblectaris nec gaudes. Quin ea est morum sanctitas & animi modestia

 tua,

tua, vt Diuinæ solius Gloriæ cupidissimus, quicquid est assentationis ac laudis, longissimè abs te reijcias ac depellas. Nec tua sanè Nobilitas ac Præstantia his hominum ac mei similium commendationibus eget: cùm tuum ipsum præclarissimum Nomen, mei Operis initio inscriptum, vt Vrbem istam, & Senatum Purpuratorum Patrum, cunctumque Orbem Christianum plurimùm ornat; ita scriptionem ac lucubrationem hanc meã, tametsi tenuis humilis ac nullius pretij sit, haud parum quidem decorat & honestat. Id tamen rogare ausim, & abs Te humillimè deprecari; quanuis libellulus exiguus sit, & rudi calamo ignobili ab Autore descriptus; nouum tamen argumentum, in Dei gloriam, & istius sanctæ Sedis Apostolicæ dignitatem, cùm præ se ferat, vt illum pro tua humanitate non asperneris. Fortassis enim à Te benignè susceptus, illustrium Scriptorum calamos excitabit, vt hoc ipsum quod ego conatus sum, multò alij fœliciùs ac splendidiùs assequantur. Interim tamen Dei Clementiam oro, vt Beatissimum Pontificem INNOCENTIVM, qui Te tantoperè diligit, & ad totius planè Orbis administrationem euectum, Te semper habere in oculis optat; & Temetipsum, qui Ecclesiam Dei & illius eximiè Pontificatum illustras; nouis quotidie muneribus cumulet, ac Christiani Orbis beneficio, diu incolumes seruet. Spero enim fore, vt sub tantæ Pietatis, Sanctitatis, & Innocentiæ Pontifice & Administro, & Christiana Virtus vbique floreat, & vitia exterminentur, & erga sacratissimam Eucharistiam, immaculatamque Deiparam, fidelium ita studia ferueant, vt vbique dulcissimum illud carmen exaudiatur: *Laudetur sanctissimum Sacramentum; & sit benedicta semper ab omnibus B. Mariæ Virginis Puritas, & immaculata Conceptio.*

## IMPRIMENDI OPERIS APPROBATIONES ET FACVLTATES.

## D. PLACIDVS VICECOMES Congregationis Clericorum Regularius Præpositus Generalis.

OPus inſcriptum, *de Præſagijs & inſignioribus aliquot Geſtis Romanorum Pontificum, qui XVI. & XVII. ſeculo floruerunt*, à P.D.Franciſco Maria Maggio compoſitum, & iuxta aſſertionem Patrum, quibus id commiſimus approbatum, vt typis mandetur, quoad nos ſpectat, facultatem concedimus. In quorum fidem præſentes literas manu noſtra ſubſcripſimus, & ſolito noſtri Ordinis ſigillo firmauimus. Datum Romæ 26. Iunij An. 1677.

*D. Placidus Vicecomes, Præpoſitus Generalis.*

*D. Caietanus Capycius Minutulus Secr. C.R.*

## CENSVRA PP. THEOLOGORVM.

IVſſi ab Admodùm R.P.D. Carolo Pignatello, tunc noſtri Ordinis Præpoſito Generali, Opus à P. D. Franciſco Maria Maggio perſcriptum *de Præſagijs & inſignioribus aliquot Geſtis Romanorum Pontificum &c.* diligenter euoluimus, & laude ac prælo dignum exiſtimamus; quippè quod doctrina & eruditione refertum ſit, & ad Romanæ Eccleſiæ decorem ac maieſtatem conducat: & in eo Autor non actum agere videatur, ſed nouum verſare argumentum, hactenùs à nemine pertractatum. Neapoli &c.

*D. Dominicus Montaltus C.R. S.T.P.*

*D. Andreas Brancatius C.R. S.T.P.*

In

*Imprimendi Operis Facultates.*

*IN Congregatione habita coram Eminentissimo Domino Cardinali Caracciolo Archiepiscopo Neapolitano sub* 18. *Martij* 1677. *fuit dictum, quòd R.P. Carolus Lombardus reuideat, & in scriptis referat eidem Congregationi.*

Franciscus Scanegata Vic. Gen.

*Ioseph Imperialis Soc. Iesu Theologus Emin.*

CENSVRA ADMODVM R. P. CAROLI LOMBARDI
E Venerabili Congregatione Oratorij.

EMINENTISS. ET REVERENDISS. DOMINE.

LIbellum hunc legi, in quo A.R P.D. Franciscus Maria Maggius Clericus Regularis Panormitanus eleganti stylo perstringit *Præsagia & insigniora aliquot gesta Romanorum Pontificum, qui seculo decimosexto, & decimoseptimo floruerunt;* nihilque in eius lectione offendi, quod Fidei nostræ Catholicæ, aut bonis moribus aduersetur. quamobrem illum dignissimum typis censeo, si Eminentiæ tuæ placuerit. Neap. 12. Maij 1677.

Eminentiæ tuæ Reu. *Humillimus atq; addictissimus Seruus*
Carolus Lombardus Congr. Orat. Deput.

*IN Congregatione habita coram Eminentissimo Domino Cardinali Caracciolo Archiepiscopo Neapolitano sub* 21. *Iunij fuit dictum, quòd stante supradicta Relatione imprimatur.*

Franciscus Scanegata Vic. Gen.

*Ioseph Imperialis Sec. Iesu Theologus Emin.*

---

ILLVSTRISS. ED ECCELLENTISS. SIGNORE.

NOuello de Bonis Stampatore in questa fedelissima Città di Napoli, supplicando fà intendere a V. E. come desidera stampare la seguente Opera intitolata, *Præsagia & insigniora aliquot Gesta Romanorum Pontificum &c.* composta dal P.D. Francesco Maria Maggio C.R. Per tan-

to

to ſupplica l'E. S. reſti ſeruita ordinare, gli ſian concedute le ſolite Regie licenze, che l'aurà a grazia, vt Deus &c.

*Magnificus V.I.D. AEmilius Antonius Gaudioſus videat, & in ſcriptis S.E. referat.*

GALEOTA R. CARRILLVS R.
VALERO R. CALA R. SORIA R.

*Prouiſum per S.E. Neapoli die* 28. *menſis Iulij* 1677.
Scoppa.

## CENSVRA

## D. ÆMILII-ANTONII GAVDIOSI V. I. D.

### EXCELLENTISSIME DOMINE.

Receptis ſupra caput per quàm maximè dignis Excellentiæ Veſtræ mandatis, accuratè perlegi Opus Religioſiſſimi P. D. Franciſci Mariæ Maggio Clerici Regularis inſcriptum; *Inſigniora aliquot Geſta & Præſagia Romanorum Pontificum*: & quia inoffenſo pede in Regiam Iuriſdictionem perlegi poſſunt, ideò ſi Excellentiæ V. ita videbitur, typis mandari autumo. Neapoli die 11. menſis Auguſti 1677.

Excellentiæ V.

*Seruus humillimus*
Æmilius Antonius Gaudioſus.

*Viſa ſupradicta Relatione imprimatur; verùm in publicatione ſeruetur Regia Pragmatica.*

GALEOTA R. CARRILLO R.
VALERO R. CALA R. SORIA R.

*Prouiſum per S.E. Neapoli die* 13. *menſis Auguſti* 1677.
Scoppa.

AD-

# ADDENDA SVIS LOCIS IN ALTERA IMPRESSIONE.

*Fol.*48.*lin*.9. excepit.

De quo ſcribit Nicolaus Orlandinus in Societatis hiſtoria *par*.1. *lib*.15.*num*.4. quòd cùm Pauli IV. electionem audiſſet, B.Pater ſe tacitus in Sacellum recepit: ac mox placido vultu, animoque perquamſedato, egreſſus ſperare ſe dixit fore, *Vt eum Societas experiretur propitium*. Et quidē

*Fol*.9. *lin*. 32. vtebatur.

Scribit Ioannes Thomas à S. Cyrillo in Matre honorificata S.Anna *cap*.35. §.9.*num*.2. quòd Innocentius à Cluſa è reformatis Minoribus S. Franciſci, *Vrbani VIII. ad ſummi Pontificatus culmen electionem prædixit: eidemque iam electo, ac etiam alijs plurimis affirmauit, ipſum debere S. Annæ ſuum Pontificatum*.

*Fol*.96. *lin*.10.tres.

A S.Malachia dictus eſt, *Iucunditas Crucis*; quòd, in teſſera eius gentilitia, eſſet Columba, ſuauem pacis oliuam geſtans, & fuerit feſto S.Crucis electus.

*Fol*.97.*lin*.19.vnum.

A S. Malachia *Cuſtos Montium* appellatur, quòd in eius teſſera Montes eſſent, quibus Cæleſte ſydus velut vigil & cuſtos oculus ſupereminet, iuxta illud Baruch 3. *Stellæ dederunt lumen in cuſtodijs ſuis*.

---

## ERRATA CORRIGE.

| | |
|---|---|
| *Fol*.2.*lin*.19. | |
| ſuggillat | ſugillat |
| *Fol*.8.*lin*.16. | |
| Tedeſchini | Tudeſchini |
| *Fol*.71.*lin*.28. | |
| Auinionem | Auenionem |
| *Fol*.72.*lin*.18. | |
| Ecclypſim | Eclipſim |
| *Fol*.113.*lin*.15. | |
| internicionem | internecionem. |

SECV-

# SECVLVM XVI.

DEcem & octo Romani Pontifices in hoc seculo numerantur, omnes vt plurimùm generis nobilitate, gerendarum rerum prudentia, vitæ integritate, & literarum etiam eruditione conspicui: ex quorum creatione sanè perspicimus, excelsa hæc & Apostolica dignitas, ac Christi Vicaria Potestas in terris, Cælestis potiùs quàm humanus Principatus & Imperium æstimanda, quàm non ab hominum consilijs & prudentia, sed à Diuini solùm Numinis instinctu ac nutu, omninò dependeat; cuius est aliquando consilia hominum momento confundere, & huc illuc vota pertrahere; ac quem Patres ante non cogitauerant, S. Petri Cathedræ, Ecclesiæ Pastorem imponere. Quis vnquam Cardinalem Theatinum, & si omni dignus imperio censeretur, euasurum fuisse Romanum Pontificem affirmasset? Quid tunc Hæretici, quid tunc improbi impijque Politici non moliri, cunctis animi neruis, ac probrosis etiam libellis non astruere enitebantur? Homo (aiebant) non solùm Religiosus, sed & Theatini Ordinis Conditor, ad supremam Infulam assumi non debet. Neapolitanus ex prædiuite ac præpotenti familia, qui Cõsanguineos affinesque plusquàm cælum sydera, innumeros habet, Pontificia non est Tiara honestandus. Tantæ senex austeritatis, & adeò sui propositi tenax, vt à recto itinere quod semel iniuit, vllius vnquam precibus, minis, aut blanditijs, se abduci non sinat, non est ad Imperium efferendus. Cardinalis supremi Iudicij in Vrbe Autor, qui tanta seueritate sanctæ Inquisitionis Officium administrat, vt nulli magno viro ac Principi parcat; & cuius nemo, vt ita dicam, oculum non formidat, ridiculum sanè esset astruere, ad tantæ dignitatis apicem ascendere posse, ac vniuersum terrarum Orbem suis pœnis ac legibus exterre-

re. Et quisquis, eius merita, virtutem animi,& oris dignitatem expendens, affirmasset,id fortassis posse contingere, nonne insanus habitus esset? Talem profectò fuisse Ioannem Petrum Carafam, quis diffitebitur? quem & Nobilitas, & Consanguinei, & vitæ sanctitudo,& emendandi Orbis studium, *ita* (ait Bzouius) *oppugnabant, vt qui de eo sperandum dicerent, stultissimi haberentur. Diuinum tamen Consilium humanas cogitationes elusit; & quem semel designauerat, sedi supremæ imposuit.* Eadem mente ratiocinatur Scipio Ammiratus in Tacitum; qui eos primùm irridet, qui Pontificatum existimant nonnisi senes esse adepturos; cùm Leo X. triginta septem annos natus, & triginta quatuor Bonifacius VIII. ad Romanæ Ecclesiæ Principatum ascenderint: nec admodùm senes aut Clemens VII. aut Sixtus V. aut Pius III. aut B. Pius V. eius arbitratu censendi fuerint; quorum Comitijs Cardinales quamplurimi seniores intererant, vitæ integritate, gerendarumque rerum prudentia, non absimiles. Eos item veluti hallucinatos sugillat, qui exteros arbitrantur ad clauum Nauis S. Petri regendum nunquam assumi: & tamen Hadrianum aspexere maiores nostri, non solùm externum, sed & qui nec Romam viderat, nec Italiam: vt prætereamus Callistum & Alexandrum Hispanos. Alij demum Pontificia ab hac Tiara viros admodùm nobiles,& familiæ præpotẽtis excludunt. *Et tamen meis temporibus*, Scipio inquit, *Paulus Tertius, & Paulus Quartus fuere Nobilissimæ stirpis. Quin Paulus Quartus tot Gentiles habebat, vt in Italia ignorem num alia Familia inueniatur, quæ plura hominum capita, ditiones, honorumque gradus percenseat quàm Carafa.* Hactenùs Ammiratus, qui similiter loquitur de Religiosorum Ordinum Cardinalibus: & concludit, hanc electionem ab hominum arbitrio non pendere; eosque falli ac deceptos esse; *Qui* (vti Bzouius ait) *in deliberatione de Pontificis Romani electione, aut pertinaci Patrum studio,*

*Bzou. de Pontific. Rom. cap. 2 fol. 20.*

*Scipio Ammir. lib. 3. cap. 3.*

*aut ambitiosæ prehensantium industriæ aliquid tribuunt.* Pergit Abrahamus: *Quanquam enim plerique in suffragium ituri, quò sua quenque vtilitas rapit, tendere videantur; commutata tamen, ad ignotæ momentum causæ, subitò in diuersum consilia, satis superque indicant, ipsam Cælesti ab sede diuinam auram tacitè dissentientium in animos illapsam agere vel inuitos, atque impellere ad eum deligendum, cui summam sacrorum potestatem æterna Dei Prouidentia iam in Cælo detulerit.* Ideoque perspicimus Nepotes ipsos Romanorum Antistitum, tametsi multorum Cardinalium vota & suffragia moderentur, non posse pro libito quem malint ad Pontificatum euehere; cùm verba illa sacrorum Canonum obstent: *Quæ sunt Dei, ab homine dari non possunt. Electionem verò Pontificum vel Sacerdotum sibi Dominus reseruauit.* Quod etiam clarissimè ostendit, cùm quos ad Pontificatum eligit, varijs multò ante prædictionibus ac præsagijs indicet ac designet; vti nos in singulis vt plurimùm ostendemus. Præter hæc verò Præsagia & Cæli monita, solet semper vulgus more suo aliquid obseruare; & in hoc seculo mirum fuit, quod in Pontificum cognominibus alternatim litera R deficeret & adesset: sed hanc vulgi obseruationem vt vanam, post Cardinalem Ceruinum, Ioannes-Petrus Carafa Cardinalis Theatinus infregit. Illud verò, *Nemo videbit dies Petri*, adeò verum fuisse constat, vt iuniores Cardinales, ad hunc summum Principatum euecti, diuturniorem tamen plerunque minimè vitam vixerint, quàm Pontifices seniores; vt in his decẽ & octo seculi huius summis sacrorũ Antistitibus est videre: ideoque cuilibet Romano Põtifici cùm consecratur indicitur, Petri annos minimè se visurum: vt in S. Clemente Primo refert Ciacconius. *Bzouius lo. cit.*

XVIII. ROMANI PONTIFICES SECVLI XVI.

*I. Alexander VI. Rodericus Borgia, electus die* 11. *Augusti* 1492. *obijt die* 18. *Augusti* 1503. 72. *an. ætatis suæ, Pontificatus* 11.

II. Pius III. Franciscus Piccolomineus, electus die 22. Septembris 1503. viuis excessit die 18. Octobris 26. sui Pontificatus, annum agens 64.

III. Iulius II. Iulianus de Ruuere, electus 1. Nouemb. 1503. viuere desijt 21. Februarij 1513. ætatis circiter 70. Pontificatus 9.

IV. Leo X. Ioannes Medices, electus die 11. Martij 1513. occubuit 2. Decembris 1521. An. ætatis suæ 45. Pontif. 8.

V. Hadrianus VI. Hadrianus Florentius, electus die 9. Ianuarij 1522. è vita migrauit die 14. Septemb. Ann. 1523. ætatis suæ 64. Pontificatus 2.

VI. Clemens VII. Iulius Medices, electus die 19. Nouemb. 1523. cessit è vita 25. Septemb. an. 1534. ætatis suæ 76. Pontif. 11.

VII. Paulus III. Alexander Farnesius, electus die 13. Octob. 1534. decubuit 10. Nouemb. 1549. anno ætatis suæ 82. Pontif. 15.

VIII. Iulius III. Ioannes Maria de Monte, electus die 17. Febr. 1550. ereptus est die 23. Martij An. 1555. ætatis suæ 77. Pontif. 5.

IX. Marcellus II. Marcellus Ceruinus, electus die 9. Aprilis 1555. decessit die 30. eiusdem mensis Anno ætatis suæ 55.

X. Paulus IV. Ioannes Petrus Carafa, electus die 13. Maij 1555. obijt 18. Augusti An. 1559. ætatis suæ 84. Pontif. 5.

XI. Pius IV. Ioannes-Angelus Medices, electus die 26. Decemb. 1559. diem suum obiuit die 10. Decemb. An. 1565. ætatis suæ 67. Pontif. 5.

XII. B. Pius V. Michael Ghislerius, electus die 7. Ianuarij 1566. in Cælum abijt die 1. Maij An. 1572. ætatis suæ 68. Pontif. 7.

XIII. Gregorius XIII. Hugo Boncompagnus, electus die 13. Maij 1572. è vita discessit die 10. Aprilis An. 1585. ætatis suæ 84. Pontif. 13.

XIV. Sixtus V. Felix Perettus, electus die 23. Maij 1585. vitam

*tā finiuit die 27. Augusti An. 1590. ætatis suæ 70. Pōtif. 6.*

*XV. Vrbanus VII. Ioannes Baptista Castanea, electus die 15. Septemb. 1590. diem suum clausit 27. Septemb. An. 1590. ætatis suæ 70. postquā vixit in Pontificatu duodecim dies.*

*XVI. Gregorius XIV. Nicolaus Sfondratus, electus die 5. Decemb. 1590. mortuus est die 15. Octob. an. 1591. ætatis suæ 56 Pontif. 1.*

*XVII. Innocentius IX. Antonius Facchinettus, electus die 30. Octob. fato concessit die 29. Decemb. An. 1591. ætatis suæ 72. Pontif. 1.*

*XVIII. Clemens VIII. Hippolytus Aldobrandinus, electus die 30. Ianuarij 1592. efflauit animam die 3. Martij An. 1605. ætatis suæ 69. Pontif. 13.*

---

## ALEXANDER VI. PONT. CCXVIII. Anno D. MCDXCII.

Rodericus Borgia Lenzolius Valentinus Hispanus, Iofredi & Callisti III. sororis filius fuit; cuius nomen cum gentilitijs insignibus, auito relicto, ab auunculo accepit: ab eodenque Pontifice Archiepiscopus Valentinus etiam adolescens est designatus: deindè 11. Kal. Octobris anno 1456. Diaconus Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano, & S.R.E. Vicecancellarius creatus, sed à Sixto IV. Episcopus Albanus, & Portuensis, varias Legationes obiuit. Cumque ex Hispania cum triremibus Venetorum rediret; maxima oborta tempestate, parum abfuit quin mari, iam omni supellectile amissa, Pisano ipse in littore obrueretur. Altera enim triremis, qua multi ex suis vehebantur, fluctibus agitata dehiscens, vndis submersa est: in qua centum & octoginta homines periere, & in his tres Episcopi, & aliquot Cæsarei Pontificijque iuris periti. Mortuo verò Innocentio VIII. in Vaticano, duorum & viginti Cardinalium suffragijs (cùm nonnullæ prædictiones ac præsagia præcessissent, ac euasisset ipse, vt videbatur, in virum ma-

ximum, ab annis septem & triginta postquàm ad Cardinalatus apicem euectus fuerat) ad Pontificatum ascendit, 7. Kal. Septembris solenni pompa coronatus. Quam illi dignitatem multi ex ipso eius vultus decore ac elegantia ominabantur. Quocirca inito Pontificatu insignes Principum Oratores excepit, præsertim Iasonem Mainum; ex cuius verbis disces, in Alaxandro fuisse formæ elegantiam, quæ virtuti suffragium adderet, latam frontem, regium supercilium, faciem liberalem, maiestatis plenam, ingenium, & totius corporis decorem heroicum. Quod paucis Nicolaus Tigrinus indicauit his verbis: *Quid iste tuus diuinus, & maiestate plenus aspectus? quid vultus, & facies venerabilis?* Nicolaus Episcopus Adriæ Alexandri faciem venerandam, & humana longè augustiorem vocabat. Sed Angelus Politianus Senensium nomine in oratione ad illum habita hæc ait: *Sapientia singularis --- præstans animi magnitudo, qua mortales crederis omnes antecellere, & ætas ipsa pariter auctoritati retinendæ, laboribusque ferendis idonea, & vigor iste tuus oculorum ac vultus, plenaque dignitatis plena maiestatis facies, ac totius corporis viuida quadam vis & solidum robur: tum ipsum istud Alexandri nomen omnibus Orientis populis formidabile, quod tibi credo non frustra, sed diuinitùs adoptasti, magna quædam de te nobis, rara, ardua, singularia, incredibilia, inaudita pollicentur.* Inerat Alexandro præter ingenium eloquentia quædam naturalis, & ad persuadendum apta, vt nemo rem captiùs proponeret, aut defenderet acriùs, seu quò desiderabat impelleret: & sese vnus omnium animis accommodando, cum iucundis de remissione, cum seueris de disciplina, cum Patribus de republica loquebatur: tùm aduersarios lenitate patientiaque deuinciebat. In negotijs perficiendis assiduus, res in multam noctem protrahebat: breuique somno vtebatur; artes verò liberales si non colebat, admirabatur: præsertim Iu-

*Volater. lib. 22. Anthrop. & Ciac.*

ris

ris scientiam: salaria doctoribus, stipendia militibus, mercedem operarijs nunquam distulit, cuius rei gratia exercitum, quem magnum ductore filio nutriebat, obsequentissimum habuit; breuique tempore, ac paruo negotio, tantum ei imperium comparauit: in annonæ difficultate, quæ bis contigit, aduecta è Sicilia magna vi frumenti, ita Vrbi studiosè prospexit, vt plebs nullum ferè sentiret incommodum: sed si quando negotijs non premeretur, omni se iucunditatis generi sine discrimine dedit: quapropter in Hadriani molem, quam propugnaculis, muro, fossa, cauisque bene muniuit, multas res peregrinas, quæ alibi suppetebant, in delicias populi, Romam transtulit. S. Petrus verò Martyr scripserat de ipsius Pontificatu ad familiarem suum Franciscum de Prato: cuius literæ apud Spondanum inueniuntur. Ipsum verò S. Malachias prædixit his verbis: *Bos albanus in portu*. Quòd eius insignia Bouem ferant, & Cardinalis Albanus ac Portuensis extiterit. Hoc Pontifice Carolus VIII. Gallorum Rex, dissidio dementiaque Italicorum Principum in Italiam euocatus, initio anni 1494 validissimis cum copijs 20. millium peditum, & quinque millium equitum, Romam venit. In Vrbe tunc Oliuerius Cardinalis Carafa magna auctoritate ac virtutum omniū fama efflorescebat. Tum Alexander Carafa Neapolitanus Archiepiscopus eius frater Ab Rege Alphonso II. Aragonio ad Pontificem missus fuit: & Nepotem suum Ioannē Petrum Carafam secum adduxit; qui tanta literarum & virtutum fama resplenduit, vt inter Pontificis Cubicularios sit adscitus, & carissimus eidem euaserit. Anno Domini 1500. Pontifex Iubileum celebrauit: ingensque hominum numerus pietatis causa Romam confluxit. Sed primo anno eius Pontificatus res memorabilis accidit, & toto Orbe inaudita: inuentio scilicet & detectio nouarum Insularum, & continentis, quam Indiam Occidentalem & nouum Orbem appellant, Christophoro Columbo Ligure lustratore.

tore. Eodenque anno 1492. expulsi fuere Iudæi ex Hispania, pœna capitis indicta, & amissione bonorum omnium ei, qui inter quatuor menses ab ea regione non exularet. Ipse verò Alexander VI. se recepit Oruietum, inde Perusiam, in Venetos concessurus, Carolum VIII. Francorum Regem aufugiens, qui secundò Vrbem ingressus nimiam crudelitatem in Hispanos exercuit. Et tandem Pontifex senio grauis in Vaticano, ad 15. Kalendas Septembris, anno salutis 1503. hora 18. ætatis suæ circiter altero & septuagesimo, Pontificatus verò 11. die 8. veneno (vti mox dicam) interijt. Vacauit tùm sedes supra dies tres mensem vnum.

## PIVS III. PONT. CCXIX.
### Anno Domini MDIII.

Franciscus Piccolomineus, Nani Tedeschini & Laudomiæ Pij II. sororis filius fuit, natus Senis Hetruriæ Vrbe 7. Idus Maij anno 1449. ac frater Antonij, cui Ferdinandus Neapolitanorum Rex, filia in matrimonium data, dotis nomine, Ducatum Amalphitanum attribuit. Egregieque iuuenis educatus ac literis instructus, & 3. Nonas Maij anno 1460. Diaconus Cardinalis creatus tt. S. Eustachij, ingenio, religione, integritate, modestia, & grauitate, ita semper emicuit, vt ob tam singulares virtutes iam diu illi communis hominum opinio summum Ecclesiasticæ Dignitatis apicem augurauerit: præsertim dum summa cum laude varias ac grauissimas Legationes obiret. Accidit interea vt Alexander VI. ferale illud conuiuium opulentissimis aliquot Cardinalibus in hortis Vaticanis instrueret: & pilam illam ex auro fabrefactam oblitus, in qua sacram Eucharistiam inclusam habebat; confestim Ioannem Petrũ Carafam vocat, insusurratque in aurem secretò, quàm citissimè Pontificium in cubiculum iret, & relictam in mensa pallam afferret. Dum iret ille facturus imperata, Pontifex

*Bzouius in hist. Eccles. ad an. 1503. num. 3. Silos par. 1. lib. 1. fol. 18.*

tifex inauspicatò discubuit, & poculum poscit: quæque erat pompę seruorumque frequentia ac penè confusio, tùm fatali quadam Pincernæ indiligentia; venenum quod alijs ex consilio necandis optimum vinum corruperat, Pontifici propinatur. Hausta lue in confecto effœti iam senis corpore facillimum fuit ad præcordia iter: correptusque ea valentissimi veneni vi Alexander, statim inter accurrentium manus corruit propè exanimis, funestatis tanti Capitis exitio epulis, atque horrentibus tam proximo periculo ac fato conuiuis. Quæ atrox tragœdia Carafæ ipsi exhibita fuit. Siquidem vt Pontificis cubiculum aperuit; quem solutum curis, genioque inter amplissimas epulas craterasque indulgentem Alexandrum reliquerat, eundem ipsum videre sibi visus est iacere in area Conclauis extinctum, stantesque Purpuratos Patres ad defuncti cadauer, ceu de futuris comitijs consulentes. Insuper ex aurea illa pila circunfusum ingensque lumen emicare. Consternauit improuisa ea rerum facies illicò iuuenem: perculsusque plus nimio cecidit mortuo quàm simillimus. Successere è vestigio qui conclamatum efflantemque penè animam Pontificem inter brachia è conuiuio in cubiculum reportabant: ac destitutum sensibus, iacentemque humi Carafam vix palpitantem mox inuenere. Sed Alexander intra quartum diem lethali ab ea potione fato concessit.

*Caracc. in Vita Pauli IV.*

*Bzou. lo. cit.*

Septem igitur & triginta Cardinalibus Conclaue Vaticanum ingressis, cùm pars vna factionibus esset distracta, altera Valentini obsequio, qui iam ex propinato veneno conualuerat, inseruiret; sanioris partis, licet paucioribus esset fulta suffragijs, auctoritate & virtute factum, vt per scrutinium, tacita in vrnam coniectione nominum, 10. Kal. Octobris anno Domini 1503. Franciscus Piccolomineus Card. Senensis, Diaconorum primus, solertia moribus & scientia inter omnes eius ordinis præstantissimus, totius Ecclesiæ Pontifex consalutatus, magnam de se apud omnes

*Ciacc. in Pio III.*

ſpem excitauerit. 8. Idus Octob. receptis, ſub Maximiliano Imperatore deſignato, admirabili pompa Pontificatus inſignibus; cùm facem ſtupeam more maiorum collucentem vidiſſet; audiuiſſetque vocem illam: *Sanctiſſime Pater, ſic traſit gloria mundi*; fluentibus lacrymis humanam ſortem breui perituram ingemuit. Vix Italiæ Principes lætum noui Pontificis nuntium acceperant; cùm Pius ſæuo vlcere afflictatus, quod crus exedebat, cui ſuſpicio fuit etiam venenum illatum eſſe, 26. die ſui Pontificatus, & 15. Kal. Nouemb. animam exhalauit, annum quartum & ſexageſimum agens: hodieque eius ſepulcrum in noſtro ampliſſimo S. Andreæ Templo conſpicitur, marmoribus ac elogijs exornatum. Ipſum Malachias prænuntiauit his verbis, *De Paruo Homine*, ad Piccolomineæ familiæ Cognomentum, & Nani Paternum fortaſſe Nomen alludens.

## IVLIVS II. PONT. CCXX.
## Anno Domini MDIII.

Iulianus de Ruuere Sauonæ Liguſtici maris Oppido, anno 1443. natus, Patrem habuit Raphaelem Ruuereum Sixti IV. Pontificis fratrem, matrem verò Theodoram Manerolam honeſtiſſimam fœminam. Et cùm literis ac prudentia profeciſſet, à Sixto IV. 18. Kal. Ianuarij 1471. ex Carpenctoratenſi Epiſcopo Presbyter Card. S. Petri ad vincula tt. Eudoxiæ, deindè Epiſcopus Albanus, & ex Sabino Oſtienſis, ac maior Pœnitentiarius eſt creatus. Tum ob eius animi decora tribus Eccleſijs, Auenionenſi, Medenſi, & Cardinalitiæ præficitur, totidemque Legationibus exornatur. Inde ablegatur in Galliam, vt inter Ludouicum XI. Francorum Regem, & Carolum Burgundiæ, pacis fœdera componeret. Ibique S. Franciſcum Paulanum, Ordinis Minimorum Autorem, ſanctitatis fama florentem eſt allocutus; qui Iuliano apertè Pontificatum prædixit; ac ſuum illi impensè Ordinem commendauit. Fertur etiam

*Borgar. in. 1. lio.*

Pius

Pius Pontifex his illi verbis Ostiense Pallium contulisse: *Accipe Pallium vniuersalis Ecclesiæ*. Mortuo itaque Pio III. pridie Kal. Nouembris, sacro Officio per Oliuerium Carafam Episcopum Cardinalem Sabinum Collegij Decanum peracto, 37. Cardinales Conclaue Vaticanum ingressi sunt, tanto studio creandi Pontificis, vt antequam Comitiorum aditus omninò clauderetur; Iulianus de Ruuere, Iulij II. nomine assumpto, Anno Domini 1503. penè fuerit omnium suffragio electus. Cùm verò Comitia agitari cœperunt, nunc Cardinalis Bernardinus Caruaial, nunc Cardinalis Georgius de Ambosia, Archiepiscopus Rothomagensis, expetebantur: sed diffidentibus Patribus, iterum Iulianus ad summum sacrarum rerum Magistratum assumitur; tametsi Alexander VI. Patres seriò monuisset, ne vnquam illum ad Pontificatum vocarent. Sed nemo vnquam, vt aiunt, suum successorem occidit. Eius verò insignia & Piscatorium annulum biduo ante artifices, vt eius æui Diarium tradit, elaborauerant. Sexto itaque Kal. Decembris ante Basilicam Principis Apostolorum, à Raphaele Riario Cardinale Archidiacono coronatus, pacis & publicæ tranquillitatis studiosus, ad pacandas Italiæ Galliæ & Hispaniæ Prouincias, varijs prælijs decennio fatigatas, incubuit. Cæsaris verò Valentini mœror incredibilis fuit, cùm eum supremo tiarę honore decoratum inspexit, quem ipse olim nutu Patris exilio tam longo mulctauerat. Iulius tamen præstanti animi magnitudine, Cæsari Valentino vitam indulsit: sed noua offensione aut falsa delatione Pontifex irritatus, Vrbibus eum copijs & dignitate exuit, ac dimisit, qui à magno Duce Gonsaluo comiter ac liberaliter Neapoli exceptus; cùm noua studia moliretur, in Hispaniam missus, ad arcem Motinæ Campi custodiæ mandatur. Vnde funibus se deiecit: & equum nactus, ad Ioannem Cantabriæ Regem sibi affinem peruenit: nec multò post, tumultuario quodam in prælio, quod cum Alarino

Regulo gerebatur, apud Mandauiam victor, glande traiectus occubuit: & nudus ac armis exutus, ad Regem, vili iumento impositus, pendentibus brachijs & cruribus relatus, Pompelone sepelitur. Nec temerè eo mortis genere atque loco Cæsarem Valentinum obijsse fatendum est: quippè olim Ecclesiæ Pompilonensis cura & gubernatio eius fuerat ministerio, cum Episcopi titulo, commendata. Rarò enim (vt Iulij vitæ Auctor aduertit) officij Ecclesiastici, & cultus diuini semel admissi, contemptores exitialem negligentiæ pœnam effugere potuerunt. Iulius verò Pontifex occupata à Cæsare Borgia Columniorum Oppida, Columnijs Prospero atque Fabricio, restituit. Primo item anno Pontificatus S. Caietanum inter septem Protonotarios Apostolicos, vt vocant, participantes adscripsit. Anno uerò tertio Pontificatus, 5. Kal. Augusti, Priuilegijs auctum Minimorum S. Francisci Paulani Ordinem confirmauit. Deindè Ioannem Petrum Carafam, quem sibi carissimum Pontificio in Palatio habebat, Episcopum Theatinum renuntiauit, & ad Regem Ferdinandum honorificè suo nomine excipiendum Nuntium Neapolim misit. Primus omnium, contra maiorum consuetudinem, barbam prolixam aluit, ut reuerentiam intuentibus maiorem incuteret: quod reliqui post eum Romani Pontifices probasse usu uidentur. Ganeas, lenones, aleatores, periuros, aliosque Dei hostes acerrimè insectabatur: ueri amantissimus fuit, iustitiæ tenacissimus, quam ferocitas quædam & quasi morositas conseruabat; libertatis Ecclesiasticæ studiosissimus: eo regente tanto metu afficiebantur improbi, ut nemini inferre auderent iniuriam: constans, firmus, altus, erectus illius animus, ac magnis semper assuetus, pacem iustissimè coluit, militiam constantissimè exercuit: & quanuis bis uiribus superatus, inuictissimus tamen Pontifex nunquam animo uictus aut consternatus apparuit: pro eloquentia illi animus, pro eruditione usus

rerum

rerum, utpotè qui ad faciendum quàm ad dicendum melior esset. Dauidicum uerò illud, *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero*, ita flectens Iulius vsurpabat: *Si meis me meaque non tradidero, tunc &c.* Emmanuelis Lusitaniæ Regis Orator, Didacus Pacettus, vbi dixerat; *Accipe Emmanuelem tuum, Lusitaniam tuam --- Aethiopiam --- Indiæ vastitatem, Orientalem Obedientiam --- tibi reseruatam --- accipe orbem ipsarum terrarum: quid orbem? imò terras alias, aliud mare, alios orbes alia sidera*; locutione fatidica versus illos de eo dici posse affirmauit:

*Iulius hic, hic est Diuum genus, aurea condet*
*Secula, qui rursus Latio regnata per arua*
*Saturno quondam, super & Garamentas & Indos,*
*Proferet Imperium.*

Sed demum multis bellorum laboribus fatigatus, vel vt alij volunt, dolore animi quòd Venetos in amicitiam cum Maximiliano Cæsare reducere frustra tentasset, lenta ac tenaci febre, fluente sensim aluo correptus, septuagenario maior, 9. Kal. Martij, hora 11. Romæ in Vaticano decubuit, domi bellique clarissimus. Nec enim probari ob id minùs debet, quòd tam infracta animi virtute, contra Ecclesiæ dignitatis inuasores propugnauerit, quando temporum ea conditio tantum virum religione ac fortitudine verè Maximum Pontificem postulabant. Vacauit Romana sedes dies 17. Malachias verò verbis illis, *Fructus Iouis iuuabit*, visus est ad eius insignia respexisse, quæ Iouis arborem quercum præ se ferebant.

*Ciaccon. in Iul. II.*

---

## L E O X. PONT. CCXXI.
### Anno Domini MDXIII.

Ioannes Medices Florentiæ III. Idus Decembris annò 1475. natus, Patrem habuit Laurentium Medicem celeberrimum virum, Matrem verò Claricem Vrsinam, nobilissimam fœminam; quæ vterum gerens sibi per somnium vi-

sa

*Iouius & Victorellos in Leone X.*

sa est, sine gemitu, in maximo Florentiæ Templo ingentis magnitudinis & miræ lenitatis Leonem parere. Ingenuè igitur educatus Latinam & Græcam linguam perdidicit, & Senas missus sacri Iuris scientiam comparauit. A Gallorum Rege Ludouico XII. amplo Sacerdotij censu auctus, vix annum agens 14. ab Innocentio VIII. Cardinalium Collegio adscribitur, cùm Ioannis soror Magdalena Francisco Pontificis filio in matrimonium data esset, Legationem Hetruriæ Patrimonij Ecclesiastici, Perusiæ Bononiæque sustinuit. Cùm verò Bononiæ Legatus esset, Gallorum Rege Carolo VIII. Patria expulsus, & à Gallis in bello captus, breui diuino beneficio ab ijs liber aufugit: reparatisque viribus, Patriam, qua per arma ciuilia exciderat, recuperauit. Itaque demortuo Iulio, Florentia profectus in Vrbem venit: & lætis populi vocibus, ac fausto salutantium plausu adeò exceptus fuit, vt licet omnium postremus Conclaue fuerit ingressus, à quamplurimis tamen Pontifex futurus expectaretur. Auxerat eius spei famam Erasmus Germanus, subtilissimus Mathematicus, qui pridie quàm Medices Vrbem intraret, in corona nobilium, neminem fore Pontificem ex his Cardinalibus qui in Vrbe essent, audacissimè prædicarat. Ferebant etiam Marsilium Ficinum, qui eximiæ authoritatis fuisset Astrologus, ex fortunata & regia genesi, ei sacrorum Principatum, cùm adhuc esset puer, nec planè sacris initiatus, omninò detulisse. Idenque illi quædam Dei famula, dono Prophetiæ insignis, disertè prænuntiauit. Nec fefellit euentus. Nam Cardinales iuniores senectutis pertæsi in Ioannem tanto studio conspirarunt, vt distractis mutua ambitione senioribus, eum 37. annos natum Pontificem salutauerint: ad quem protinùs reliquis accedentibus, sub Imperatore Maximiliano, Pontifex ab omnibus est electus. Tantaque fuisse dicitur iuniorum de hac creatione lætitia, vt Alphonsus Petruccius Cardinalis Senensis (si verum est) populo,

*Iouius in Leone X. lib. 3.*

elata

elata voce sibi tamen infausta, clamauerit: Pontificem habemus Leonem X. vigeant valeantque iuniores. Qui deindè Alphonsus quòd veneno mortem eidem Leoni Pontifici moliretur, re comperta, probatoque facinore, in publico Senatu purpura & omni Ecclesiastico iure priuatus, in Hadriani mole, ad infimum & obscurissimum arcis locum perductus, anno 1517. & ætatis suæ 27. à carnifice strangulatus, in Campo sancto sepultus fuit. Ipse verò Leo post 30. ab electione diem, publica celebritate & pompæ apparatu ornatissimo ad sanctum Petrum, ante fores Basilicæ Vaticanæ, ab Alexandro Farnesio Tiaram accepit, Presbyter & Episcopus ab Ostiensi priùs consecratus. Voluitque Pontifex eadem die 11. Aprilis coronari, atque eodem equo Thracio vehi, qua & quo ab hostibus Gallis in Rauennæ prælio captus fuerat. Inito Pontificatu componendæ pacis cura solicitus, ad omnes Christianæ Reipublicæ Principes Legatos misit. Pluribus omnium scientiarum magni nominis præceptoribus in Vrbem euocatis, Gymnasium Romæ instaurauit. Vtque operosiùs literarum frugem, ac summam Religionis & Maiestatis sanctitatem extolleret, tres supremi Ordinis Antistites, præcipua Religionis sanctitate decoros, atque scientiarum omnium eminentia celebres, in Purpuratorum Patrum Collegium cooptauit, & primo loco Thomam de Vio Caietanum, Prædicatorum Ordinis decus & ornamentum: quem genere clarum ab Diuo Thoma edoceri, & in Cælum ferri, Elisabeth mater per quietem viderat. Cùm verò mater vterum ferret, in somnis pater quendam ita dicentem audiuit: Nascetur tibi filius, qui erit magnus in Ecclesia Dei. Scripsit etiam Leo ad Ioannem Petrum Carafam, vt ad Lateranense Concilium Romam veniret: eidenque curam commisit, vt scripto Lutheri hæreses confutaret: quæ omnia quàm egregiè ille præstiterit, apud Abrahamum Bzouium leges. Hoc Pontifice ab Ioanne-Petro & S. Ca-
ietano

ietano alijsque Romanæ Aulæ Proceribus celeberrimum illud Diuini Amoris sodalitium in S. Dorotheæ Templo conditum fuit. Nec multò post, anno 1519. Maximilianus Imperator Veltij in Noricis montibus obijt. Eoque mortuo lectus est Carolus Hispanorum Rex. Sed demum ægrotare Pontifex cœpit lenta & leni febre, quæ breui ita vehementer incubuit, vt priusquam mori dignosceretur, turbata ratione, nec sine suspicione veneni, efflauerit animam, anno à Virginis partu 1521. & ætatis suæ 47. Kal. Decembris, Die Dominico, prima hora noctis, cùm octo creationibus duos & quadraginta Cardinales enuntiasset. Prædictus fuit his duobus verbis à Malachia, *De craticula Politiana*; quorum primum Patris Nomen Laurentium indicauit; alterum verò Magistri sui Angeli Politiani viri celeberrimi cognomentum.

## HADRIANVS VI. PONT. CCXXII. Anno Domini MDXXI.

Natus fuit Hadrianus An. 1459. VI. Nonas Martij Traiecti, inferioris Germaniæ Vrbe, ex Iouio, Panuinio, Genebrardo; vel in Pago Salodiensis agri, Brixien. Diœcesis in Italia, ex Mathia Bellintano Capuccino Salodiensi; Patre Florentio ingenuo plebis viro, sed paupere adeò, vt præclaræ indolis filium suo sumptu bonis literis & artibus imbuere non valeret. Louanium Hadrianus profectus, & in Portiorum Collegium cooptatus, tanta contentione animum literis appulit, vt breui Dialecticos, Mathematicos, Philosophos, & Theologos antecelleret. Quamobrem à Maximiliano delectus fuit, vt literis & virtute Carolum Nepotem imbueret: qui armorum studio ductus maturiùs quàm par erat scholam deseruit. Nec multò post in Hispaniam Hadrianum Maximilianus ampla cum Legatione Ferdinandum ad Catholicum misit: à quo Episcopus Dertusensis est designatus; rogante que Maximiliano post Ferdinan-

dinandi mortem à Leone X. tt. Pammachij SS. Ioannis & Pauli Cardinalis creatus fuit. Mortuoque Maximiliano, Carolus in Germaniam proficiscens, Hadrianum totius Hispaniæ Gubernatorem reliquit. Vbi pacatis seditionibus, sumptoque de auctoribus Padilla & Brauo supplicio, & parta contra Gallos recuperata Pampelone victoria; Leo X. è viuis excessit. Cùm Pompeij Columnæ & Iulij Medicis opera post multas contentiones, nouem & triginta Cardinalium suffragijs, in Vaticano Palatio, anno 1522. quinto idus Ianuarij, tametsi Roma abesset, Pontifex summus electus, quoddam Vaticinium quod his verbis efferebatur impleuit: *Leoni immatura morte succiso, senex succedet, obscuro in loco natus, literarum scientia tamen clarus.* Cuius quidem electio admirabilis fuit, & cælesti potiùs quàm humano nutu peracta. Cùm verò per literas à Gerundensi Episcopo conscriptas in Hispaniam perlatum esset, Hadrianum Derthusensem Episcopum, Pontificem esse renunciatum: & tamen tredecim dierum spatio nihil ad confirmandam tantæ rei famam penitùs adferretur: iam de ea re plerique dubitare cœperunt, quasi Galli hostes fictitijs literis ad eleuandam hominis dignitatem id commenti essent. Ipse tamen ea omnia de se, vti Romæ acta erant, ab initio constantissimè credidit, siuè ab oraculis fatidicarum Virginum edoctus, quæ tanto rerum euentu promissis fidem attulissent: siue vt alij dicunt (quod ægrè adducor vt credam) exactissima siderum scientia, qua plurimùm iuuenis oblectabatur, in opinione confirmatus: cùm, in genitura à sede Planetarum admodùm fœlici, stella etiam eximię magnitudinis in horoscopo ad ipsam finitoris lineam, præclara summæ fortunæ denuntiatione, præfulgeret: adeò vt Acredio Medico, anxiè nimis & tristi fronte tantæ moræ spatium per singulos dies supputanti, dicere non dubitarit, vt in spe concepta permaneret; neque ampliùs eo literarum desiderio torqueretur: se enim creatum esse Pontifi-

*Iouius in Hadr.*

*Beyerl. in Th.*

cem, & breui fore vt ab ipso in sede Principis Apostolorum in Vrbe Roma, sub illa solemni tiara, conspiceretur. Literis ergo & actis acceptis, ex Hispania Romam se contulit Hadrianus: vbi 4. Kal. Septemb. Populo Romano, singulis Sacerdotum ordinibus comitantibus, solenni pompa in Vaticanum deducitur; vbi sub Carolo V. Imperatore, ante fores S. Petri, ritu solito coronatur. Pontificatus initio, Ioannem-Petrum Carafam Theatinum Episcopum euocatum in Vaticanum excepit, vt eius consilijs in morum emendatione horis singulis vteretur. Tum rebus publicis cognoscendis, & Magistratibus audiendis incubuit, vt communi calamitati Reipublicæ consulere posset. Nam & in vulgus hominum pestilentia grassabatur: & ærarium non solùm exhaustum erat; sed gemmis etiam, & sacrorum ornamentis fœneratoribus per Leonem oppignoratis, vnde afflictis rebus præsidia peteret, ignorabat. Ad famam obsessæ Rhodi misit Genuenses aliquot naues, armis, commeatu, & milite instructas; quæ aduersantibus ventis Rhodo tamen appellere minimè potuerunt. Quamobrem acriùs Solymano obsidionem vrgente, Philippus Villadamus militiæ Rhodiæ Magister vitæ atque rerum incolumitatem cum hoste pactus deditionem fecit: & insula Christianæ pietatis hosti cessit, ipso die nato Christo sacro, anno humanæ salutis 1522. non sine graui omnium Christianorum, & grauissimo Hadriani dolore. Eodemque die, atque eadem penè hora, qua Rhodus dedebatur, saxum ingens è superiore limine portæ sacelli Pontificij in Vaticano prodigiosè decidit, cùm ipse Hadrianus vno aut altero non amplius passu à limine abesset, iam ingressurus pro religione diei ad faciendum solenne sacrum; oppressitque duos ex Heluetijs, qui custodiæ eius adhibiti erant. Capta verò Rhodo, cùm Vrbes arcesque Dalmatiæ atque Croatiæ in magno versari discrimine cognouisset; eò magnam Hadrianus frumenti & pulueris tormentarij vim

*Iouius in Hadr.*

*Iouius in Hadr. & Solym.*

trans-

transmisit. Indulgentias, ne ex nimia profusione vilescerent apud plebem, parcissimè concessit. Officia à Leone X. vendita, cùm primùm vacare contigerat, abolebat. Cùmque Cardinalis 70. aureorum beneficium nepoti suo contulisset, & aliud maioris annui census multorum precibus eidem expeteretur, nullo modo potuit exorari; quippè qui diceret, cupere se homines beneficijs dare, non beneficia hominibus. Ipso autore Carolus V. Cæsar, Henricus, & Ludouicus, Britanniæ & Hungariæ Reges, ac Venetus Senatus, fœdus inierunt, vt si victoriarum successu audax *Solymanus* maiora tentasset, communibus viribus vndique opprimeretur. Pontificalium curarum verò procellis iactatus dixit aliquando, iucundius optatiusque sibi fuisse, Louaniense Gymnasium regere, quàm in Diui Petri Cathedra Christianam Remp. moderari. Sed iam Pōtifex sub id tempus cœperat ægrotare; qui deindè supremam adesse horam præsentiens, susceptis Ecclesiæ Sacramentis, Cardinales ad S. Sedis Apostolicæ curam & studium adhortatus, 8. Kal. Octobris anno 1523. Pontificatus sui anno 2. ætatis 64. viuere desijt. In S. Malachiæ Vaticinio *Leo Florentius* appellatur, quòd eius insignia Leonem ferant; & Florentium Parentem habuerit.

## CLEMENS VII. PONT. CCXXIII.
### Anno Domini MDXXIII.

Iulius Leonis X. frater patruelis Patrem habuit Iulianum Medicem, Florentiæ in Reparatæ Templo interfectū, post cuius mortem altero circiter & trigesimo die ex parum certa vxore natus est Iulius, oris lineamentis Iuliano persimilis; qui à Patruo educatus, & disciplinis imbutus, magna optimæ indolis & futuræ expectationis argumenta præ se ferebat. Mediceis vi Gallorum Vrbe depulsis, Ioanni illi adhæsit, qui Leo X. fuit, cuius fauore Eques S. Ioannis Hierosolymitanus, & Capuæ Prior creatus: ab eoque

summum Pontificatum adepto, ipso die Coronationis renunciatus Archiepiscopus Florentinus, & Diaconus Cardinalis S.Mariæ in Dominica, quo vsus erat Leo, non sine bono omine galerum accepit: tantaque fuit eius auctoritas, vt ingentes opes & nominis singularem amplitudinem obtinuerit. Pontificij Exercitus Legatus, cum Cæsaris & Venetorum auxilijs Placentiam & Parmam Gallis victor eripuit. Et Hadriano mortuo, cuius ipse creandi autor fuerat, Pontifex Max. à nouem & triginta Cardinalibus est electus, 13. Kal. Decembris 1523. De cuius electione Hieronymus Niger literis ad M. Antonium Michaelium Romæ datis hæc habet: *Cùm complerentur dies Pentecostes, nimirum quinquaginta elapsis diebus, descendit in Conclaue Spiritus sanctus. Hesterna die hora 23. decretum in congregatione fuit, vti Reuerendissimus Cardinalis Medices Pontifex crearetur. Hodie mane hora decima sexta res palam facta est, pronuntiato Clementis VII. nomine. Illum ego met in Diui Petri gestatum vidi comitantibus Cardinalibus, tantoque cum applausu, vt id scriptu difficile sit. Mirabilis planè eius fuit electio, siquidem exclusus iam videbatur: at electio, cùm minùs expectabatur, suum sortita est exitum, idque opera Cardinalium Columnæ & Cornelij.* Iulius tunc, ipso Nigro teste, 46. annum agebat, optimaque victus ratione vtebatur: ac proinde Pontificatus Maximi spes in senioribus Cardinalibus videbatur extincta. Cùm Clementis VII. itaque nomine consecratus, suæ coronationis insignia à Marco Cornelio Veneto S.R.E. Archidiacono ante Basilicam Vaticanam suscepit. Hanc illi Eremita supremam dignitatem prædixerat: & quod illi obtigit in Conclaui cubiculum, depictum Dominum Iesum Christum in pariete habebat, Ecclesiam suam Diuo Petro Apostolo commendantem. Quidam etiam per somnium Iulium Medicem supra Basilicæ Vaticanæ Aram maximam erectum aspexerat. Ipse verò eodem anno Ioanni Petro

*Bzon. anno 1523.*

Cara-

Carafæ Episcopo Theatino reformandi Romani Cleri curam commisit. Cui & S. Caietano sequenti anno 1524. concessit, vt primi omnium ad Apostolicæ vitæ formam Clericorum Regularium Ordinem instituerent: quem ipse, in Basilica Vaticana, magna celebritate, adstante vniuerso Clero, per Casertanum Episcopum Datarium confirmauit. Eidenque primùm Ordini indulsit, vt cunctis Canonicorum Regularium Lateran. Priuilegijs vteretur. Post hæc annum Iubilei, qui fuit à Natiuitate Christi 1525. Clemens VII. celebrauit. Cùm Germania vehementissimè, autore Muncero, *horrendis rusticorum* Anabaptistarum turbis perniciosoque tumultu agitata fuit: qui omnia libera & communia esse dicentes, non solùm profana, sed Ecclesiastica bona etiam inuadebant: & pluribus remotisque regionibus, præsertim Italiæ, exitium minabantur. Sed partim vi, partim dolo, cæsa ad centum & quinquaginta hominum millia interiere. Anno 1626. Ordo Patrum Capucinorum, non sine Ioannis Petri Carafæ ope & fauore, institutus est, & à Clemente VII. Apostolicis literis approbatus; quod olim frater quidam Augustinus Fulginas Ordinis S. Francisci de Obseruantia alteri cuidam prædixerat, hunc in modum: *O frater, ò frater, sustine paulisper: grandia tibi spectanda erunt, quæ breui ventura sunt. Etenim post breue tempus, Pontificem Florentia Vrbe progenitum Romæ sedentem conspicies. Væ tunc Romanæ Vrbi: eheu eheu Roma infælix, quot tibi eo tempore mala toleranda erunt! Porrò eadem tempestate B. Patrem nostrum Franciscum iterum resurgentem, iterumque rediuiuum cernes: & hunc quem vides Minorum Ordinem, perfectè secundùm S. Francisci vitam ac spiritum restitutum perspicies*. Scribit Pontanus *lib. 2.* & Surius *in Comment. rerum in Orbe gest.* quendam Ioannem-Baptistam, hominem peregrinum ac pauperem, sacco indutum, ac nudis pedibus incedentem, dum victum emendicaret, per sacras Vrbis ędes atque plateas,

*Victor. in Clem. VII.*

*Bouerius in annal. sub* 1526 *n.* 39. Idē *Bou.* 16. *anno* 1524. *n.* 40.

diu

diu clamasse quotidie, *iram Dei grauem, Romanis, nisi resipiscerent, imminere. Cumque magnis clamoribus eadem crebriùs palam dictitaret, coniectus est in carcerem*, inquit Surius. Sed Vaticinio respondit euentus: anno enim nostræ salutis 1527. pridie Nonas Maij capta Vrbs direpta & vastata fuit; adeoque in turba inermi sæuitum est, vt nec templo, nec ipsis adytis latitantes, aut ad sacrosanctam Aram confugientes, vitam tuerentur. Auditoque ruentium strepitu, & miserabili cadentium clamore, Pontifex in Arcem profugit: Vaticanis ędibus, Templo, & suburbio incredibili immanitate cruentatis, occupato Sixti ponte, septemque millibus hominum trucidatis, tres Germanię Legiones, sex millia aliorum, Italæ Cohortes, Equites veterani, & magna leuis armaturæ manus ex diuersis nationibus aucta, quæ ad quadraginta millia hominum ascēdebant, Vrbem crudeliter inuaserunt, vt debacchari nunquam in Turcas, vel in perpetuos & infensissimos hostes maiore truculentia vindictę libidine potuissent. Tunc S. Caietanus, cum Ioanne-Petro Carafa alijsque sodalibus captus, maleque habitus ab Heluetijs fuit: omnesque Dei beneficio demum incolumes euasere. Dum verò Clemens in arce detineretur, scripsit Venetias ad Ioannem Petrum Carafam, vt Ecclesiam Veronensem inuiseret, & absente Giberto Episcopo administraret: eodemque postmodùm Venetijs, pace composita, in rebus grauissimis vtebatur. Eidemque & S. Caietano indulsit, vt nouum Breuiarium & Missalem librum componerent; & ad Nobilium Neapolitanorum instantiam omninò mandauit, vt suos Neapolim mitterent, & aliquod hìc Cœnobium excitarent. Interim Imperator Carolus in Italiam veniens, 6. Kal. Martij 1530. à Pontifice Bononię est coronatus. Ad hæc Henricum VIII. Angliæ Regem, quòd ob Annæ Bolenę amorem insaniens, Catharinam Vxorem Cęsaris materteram repudiasset; anathemate percussit; qui tamen religione contem-

pta,

pta, despectaque imprecatione Pontificis, Lutheri amentiam, quem priùs ipse acerrimè confutauerat, est amplexus. Clemens verò Massilia Romam reuersus, morboque vario conflictatus, quem nonnulli ortum ex veneno putant, alij quòd victus rationem mutasset; in Vaticano VII. Kal. Octobris anno Christi 1534. & sui Pontificatus decimo, mense 10. die 7. mortuus in Basilica S. Petri sepultus fuit. Vacauit sedes dies 17. De eo prędixerat Malachias, *Flos Pilei agri*, quòd eius insignia boli & lilia essent, vt Enricus Engelgraue in Luce Euangelica vnà cum alijs arbitratur: *Eng. par.* 3. vel vt legit D. Ioannes Germanus in S. Malachię vita nu. 920. *Flos Pilæ nigræ*; quod ad quinque rubras, & vnam in sublimi cæruleam, Mediceorum Pilas alludit.

## PAVLVS III. PONT. CCXXIV.
### Anno Christi MDXXXIV.

Alexander Farnesius Carini, paternæ Ditionis Oppido in Hetruria, pridie Kal. Martij Anno 1468. natus, Patre Luysio, Matre verò Ioannella Caietana de Sermoneta, Bonif. VIII. sanguine coniuncta, præstantissima fœmina, eximia Romæ cura educatus fuit. Pomponioque Læto Præceptore humanioribus literis institutus, Florentiæ in Laurentij Medicei viri clarissimi contubernio versatus, Latinas & Græcas literas grauioresque disciplinas, & Ioannis Medicei, qui postea Leo Papa fuit, amicitiam est adeptus. Romam igitur rediens ab Innocentio VIII. Scriptor Apostolicus, & Protonotarius factus, ab Alexandro VI. Thesaurarius, Episcopus Montis Flasconis, & Corneæ, ac demum Diaconus Card. SS. Cosmæ & Damiani 12. Kal. Octob. anno 1493. euasit. Viterbij Legatus Carolum VIII. Francorum Regem, Neapolitanum Regnum armis repetentem hospitio excepit. Mox à Iulio, cùm Piceni Legatione fungeretur, Episcopatum Parmensem, & Diaconiam S. Eustachij obtinuit. Leonem X. coronauit, à quo Episcopus

pus Tusculanus electus mittitur Legatus ad Cæsarem. Sed
*Borg. in Paulo 3. Beyerl. lit. A. fol. 584.* cùm in sacra Camaldulensium Eremo anno 1521. Augusto mense reperiretur, quidam eius familiaris Sacerdos, qui eum deserere cogitabat, B. Michaelem celeberrimum Eremitam consuluit; qui illi respondit, bono & constanti animo esset; nam Cardinalis Farnesius post duos magnos Sacerdotes (qui fuere Hadrianus VI. & Clemens VII.) Pontifex euasisset. Paris verò Mãtuanus ipsi Farnesio Cardinali prædixisse fertur ne dum annum Pontificatus, sed & vitæ terminum, quando annum octogesimum primum egressus esset. Idenque Carolo V. prædictum fuerat. Nec spes
*Illesc.* illi & confidentia deerat, de se dicere solito: *Confectum senio melior fortuna sequetur*. Ipsique Clementi VII. adeò gratus fuit, vt cùm iam prope moriturus videretur, sibi suc-
*Ciac.* cessorem testamento relicturum Alexandrum Farnesium affirmauerit, si Pontificatus hæreditate parari posset. Nec semel Card. Hippolytum Nepotem admonuit, vt Alexandrum Farnesium futurum Pontificem amore & honore prosequeretur. Qui Episcopus Sabinus, Prænestinus, Portuensis, & Ostiensis, ac totius Senatus Princeps, Romanam etiam Legationem absente Pontifice eximia cum lau-
*Ciacc.* de sustinuit. Tantaque fuit post Clementis VII. obitum in Alexandrum Farnesium omnium ferè Patrum consensio, vt antequam mortuo Pontifici iusta persoluerentur, nullo habito Comitiorum cœtu, eum summum Ecclesiæ Pastorem salutare voluerint. Sed ea erat eius prudentia & virtus, vt non minùs modestè quàm constanter huic Cardinalium propensæ voluntati restiterit; quòd noua & insolita electio contra maiorum consuetudinem videretur. Post Nouendialia ergo Clementi VII. persoluta ad 7. Idus Octob. Cardinalibus Cõclaue ingressis, Hyppolytus Card. Medices verborum Clementis memor, qui paulò ante mortem Ecclesiam Dei Farnesio commendauerat, ipsumque Hippolytum vt Farnesio faueret hortatus fuerat, ita omnes

in sua vota pertraxit, vt cùm ad suffragia deuentum esset, apertis omnium syngraphis & in vrnam coniectis, per scrutinium, nemine refragante, post duos à Comitiorum ingressu dies, Alexandrum vniuersalis Ecclesiæ Pontificem adorauerint. Tertio Nonas Nouemb. supra gradus Basilicæ Vaticanæ incredibili cum populi gaudio coronatus, fœdus à Clemente & Cæsare initum renouare noluit, vt Hispanis & Gallis esset acceptus: & Christianorum arma contra Turcas vertere studens, ad Cæsarem & Franciscum Gallorum Regem Legatos misit. Fuit illi prudentia quidem insignis, quam per annos ferè 60. Reipublicæ munia exercendo parauerat. Sed ante omnia in explorandis hominum studijs & sensibus detegendis solerti perspicacia viguit. Simulato enim rei quam probabat dissensu, cuiusque animum mirificè scrutabatur. Et hanc sagacis ingenij dexteritatem cunctis Reipublicæ artibus, & literarum studijs, opportunè semper admiscuit; quibus non minùs quàm reliquis virtutibus excellebat. Sanguine tamen sibi coniunctos honoribus & diuitijs auxit. Interim Henricus VIII. Anglorum Rex furore percitus à Sedis Apostolicæ obedientia omninò defecit; & horribili hæresi se Anglicanæ Ecclesiæ caput sub Christo supremum dicere est ausus. Tum in viros sacratos Ioannem Rosensem Cardinalem, & Eboracensem, nec non Thomam Morum scrinij Regij Magistrum, quòd impio Regis Edicto subscribere noluissent, crudeliter desæuire, Clericos & Monachos persequi, decem Carthusianos acerbissimis tormentis excruciare, vastare templa, multoque Christianorum sanguine infestare omnia cœpit. Quamobrem, coacto Pontifex Senatu Henricum Regio titulo & omni dignitate priuauit; & anathemate ictum cœtu piorum amouit. Carolo V. Cæsari, qui contra Hariadenum Barbarussam Tunetanam expeditionem susceperat; & Francisco Galliæ Regi, vt viginti exornatis triremibus Hetrusci maris Pontificiæque ditionis lit-

tora defenderet, ne barbari hostes nostris finibus auderent appellere, omnium Sacerdotiorum decimas in Hispania Galliaque donauit. Deindè ineunte vere Carolum Cæsarem anno 1536. post Tuneti victoriam Romæ triumphali pompa Vaticano in Palatio hospitio excepit. Insigni enim solio, apud Principis Apostolorum Basilicam, insidens, Cæsarem expectabat: qui ter procubuit in genua, antequàm à Paulo, pluuiali & mitra ornato, ad osculum pedis, manus, & oris, admitteretur. Sed iam diu Pontifex Ioannem Petrum Carafam Episcopum Theatinum Romam vocauerat: cumque ille bis renuisset, ne ad recusatos purpuræ honores adduceretur; Giberto Veronensi Episcopo iussit, vt Venetias se conferret, daretque sua manu Carafæ Pontificias literas, quibus ipsi præcipiebat, vt vnà cum eodem Giberto quàmcitissimè Romam iret. Vbi grauiter ægrotanti Paulus, præter morem, Carafæ purpureum pileolum domum misit. Anno à Virginis partu 1540. Societatem Iesu à S. Ignatio de Loyola institutam confirmauit, atque priuilegijs auxit. Anno 1541. sanctæ Inquisitionis Tribunal à Ioanne Petro Carafa propositum & adinuentum erexit. Anno 1544. Concilium Tridentinum indixit. Et demum post alia præclara facinora in febrim lapsus post quintum diem paulò ante lucem ad 4. Idus Nouembris anno Christi 1549. ætatis suæ 81. susceptis Ecclesiæ sacramentis, excessit. Vacauit sedes menses 2. & dies 29. *Hyacinthus Medicorum*, à Malachia nuncupatur: quod in familiæ insignibus hyacinthi, idest lilia aliquot cærulea inspiciantur; & Cardinalatus titulus illi fuerit sanctorum Cosmæ & Damiani, qui Medici professione fuere.

## IVLIVS III. PONT. CCXXV.
### Anno Domini MDL.

Ioannes Maria de Monte anno Christi 1487. 4. Idus Septembris Romæ in Regione Parionis natus, à Paterni tamen

men agri natalibus, Aretinus postea dictus, Patrem habuit Vincentium de Monte Iurisconsultum egregium, Matrem verò Senis Vrbe ortam, nobilissimam fœminam. Post prima bonarum literarum præsidia, Iuris prudentiæ & eloquentiæ Perusiæ ac Senis, opera Antonij de Monte Card. S. Praxedis, incubuit: quibus egregiè ornatus, cùm adhuc esset adolescens Iulio II. Pont. ad Lateranum in quinta Concilij sessione orationem habuit. Mox Papiensis Episcopus, Archiepiscopus Sypontinus, sub Clemente VII. Vrbis Romæ bis Gubernator; & in eius excidio, pro Pontificis & Patriæ libertate, obses hostibus datus fuit. Bononiam pro Legato sub Paulo III. administrauit: tum Auditor Cameræ Apostolicæ factus, & Carolo V. Neapoli Romam petenti ab eodem Pontifice obuiam missus, Terracinam vsque peruenit: tandem Presbyter Card. S. Vitalis tt. Vestinæ 11. Kal. Ianuarij 1536. creatus Galliæ Cispadanæ, Flaminiæ, & Æmiliæ, Bononiæque Legationes obiuit: Apostolicæque Sedis Legatus Concilio Tridentino vnà cum Ceruino & Polo Cardinalibus præfuit. Post Nouendialia igitur mortui Pontificis celebrata, ad Comitia ingressi Patres à die 29. Nouembris vsque ad 7. Februarij mutuis altercationibus discrepabant: cùm præter omnium expectationem, communibus omnium suffragijs, Ioannes Maria de Monte, Episcopus Card. Prænestinus, qui de se maximum Iustitiæ, integritatis, diligentiæ, bonitatisque specimen semper dederat, 6. Idus Febr. anno 1550. Pont. Max. circa 3. noctis horam electus fuit, & 8. Kal. Martij ab Innocentio Cybo, ante fores Basilicæ S. Petri, Carolo V. Cæsare, coronatus. De quo scriptum inuenio, quod suum ipse Pontificatum prædixerit. In conclaui enim rogatus vt huic aut illi suffragaretur; Libentissimè, aiebat, cui vultis ego suffragium feram: sed huc venire & consentire singulos oportebit. Quod & dextera pectori admota, & subridens, adijciebat; vt se procul dubio futurum esse Pontificẽ Romanũ innueret.

Itaque Iulius III. Iubilei annum peregit: & inter Catholicorum Principum & Regum Oratores, qui, ex veteri instituto, sacris Pontificum pedibus aduoluti obsequium protestantur, Stephanus Armeniæ maioris Patriarcha, alijs Episcopis comitantibus Romam venit: quem Iulius post Catholicę Fidei professionem peramanter excepit, & muneribus cumulatum dimisit in Patriam. Simone etiam Mama, Orientis vniuersi, trans Eufratem ad Indos vsque, Metropolita erepto; Orientalis earum regionum Ecclesia, Simonem Salakam, Ordinis S. Basilij virum sibi in Patriarcham delegit, Romamque sibi ab Iulio Pontifice confirmandum cum syriacè scriptis literis misit: quem post fidei professionem emissam Iulius consecrari iussit, & sacro pallio in secreto Consistorio ornauit. Rogatu verò Imperatoris Concilium translatum Bononiam Anno 1547. reuocari Tridentum, ibique instaurari ad Kal. Maij Anno 1551. & continuato ordine peragi Iulius iussit. Tunc ex Germania, Hispania, Italiaque, Episcopi, & viri literis & virtute insignes ad Concilium confluxerunt. Anno verò 1553. mortuo Anglorum Rege Eduardo VI. soror eius Maria Catholica Regina in Regnum Angliæ succedens, veterem Dei cultum, & Ecclesiæ Romanæ disciplinam reuocauit: quam Philippus II. Hispaniarum Rex vxorem duxit: & misso ad Pontificem Pischariæ Marchione, Neapolitani Regni possessionem obtinuit. Sed Iulius cùm ad pellendos podagræ & articulorum dolores solitam viuendi rationem mutasset, breui tempore lentam in febriculam lapsus, quæ paulatim tamen excreuit; anno 1555. die decimo Kal. Aprilis, & ætatis suæ septimo & sexagesimo supra menses sex & dies quatuordecim hora inter 19. & 20. è vita migrauit. Illum S. Malachias prædixit his verbis, *De Corona Montana*; ad insignia gentilitia alludens, in quibus duæ frondosæ & floridæ Coronæ seu serta, & tres etiam montes, inspiciuntur.

MAR-

# MARCELLVS II. PONT. CCXXVI.
## Anno Domini MDLV.

Marcellus Ceruinus, anno post Christum natum 1501. pridie Nonas Maij in Oppido Montis Fani ortus, Patrem Richardum Ceruinum Piceni agri Thesaurarium, & Cassandram Benciam nobilem & sanctissimam fœminam Matrem habuit. Cumque infans in lucem editus esset; Pater, qui eius genesin viderat, Hodiè est mihi natus summus Ecclesiæ Antistes, exclamauit, vt Beyerlinckus *in suo Theatro*, & Onuphrius *in Marcello* testantur. Gauricus etiam eidem prædixit, ante supremos cineres, honores Ecclesiasticos maximos adepturum. Claruitque adeò puer indole ingenij & morum disciplina, vt dum Senis ad studia literarum incumberet, præsente Marcello, scholæ socij & condiscipuli agere aut iocari liberiùs non auderent. Ornatus ergo virtutibus ac literis eruditus, sub Clemente VII. semel atque iterum Romam venit, & Scriptor Apostolicus factus, Patre mortuo reuertens in Patriam, honestis matrimonijs sorores locauit, ex quibus Cynthia Robertum Bellarminum postea Cardinalem è Soc. Iesu sanctitate & doctrina insignem in lucem edidit: altera vero eius soror Cælia Ceruina Matthæum Bencium peperit, postea Clericum Regularem, de cuius miris atque virtutibus legendus est Castaldus in vita, & in historijs Silos. Regressus post Clementis VII. obitum in Vrbem Marcellus Alexandro Card. Farnesio à Paulo III. datus fuit, vt illi ab epistolis & consilijs esset: ac deindè Protonotarius Apostolicus, Episcopus Neocastrensis, Nuntius apud Carolum V. Cæsarem ac deinde tt. S. Crucis in Hierusalem Presbyter Cardinalis pronuntiatur. Mittitur postea Legatus ad Cæsarem: Ecclesiæ Regiensi præficitur: & ad Concilium Tridentinum Legatus, magnum Christianæ Religionis studium, & in Pontificia auctoritate defendenda senatoriam

*Beyerl. lit. A. fol. 585.*

liber-

libertatem ostendit. Mortuo Paulo III. apud Iulium tanti semper fuit virtus atque prudentia Marcelli vt nihil eo inconsulto, quod Remp. moresque respiceret, constitueret. Vrbe deindè egressus, Eugubium cuius ipse Sacerdotio fungebatur, ac propter infirmam valetudinem in patrium montis Fani locum diuertit, interuisendæ natali B. Virginis cellæ peropportunum. Vbi sub Iulij III. decessum, Marcello rem diuinam de more facienti res euenit visu euentuque mirabilis. Eximio candore ac specie columba, multis inspectantibus, supra eius caput placidè cùm volitasset, nunc in sacrificantis manibus, nunc in ipso missali libro requiescebat. Ea res obiecta oculis adstantium plerosque animis immobiles stupore defixit. Sacerdos qui de more Cardinali sacrificanti præsto erat, vulgarem aliquam Columbam eò fortè delapsam ratus, abigere eam conabatur. At Cardinalis haud parum memor Candidæ Columbæ indicio diuinitùs olim designatos nonnunquam esse Pontifices; inhibet abigentem; ipse cælestem Columbam quiescere sinit, quoad sacrificio peracto sua sponte auolaret. Exindè cæleste visum homini affirmat fidem. Nuntio de morte Pontificis Marcellus Romam reuocatus non sustinuit viæ priùs & Pontificijs Comitijs committere se, quàm veteri suo instituto Lauretanam Virginem salutasset. Et aderat dies salutatæ ab Angelo Virgini sacer, qui ceteroqui pium eius animum inuitabat. Venit ergo pridie Lauretum. Festo ipso die, exclusa incondita turba, sacrum in augustissima cella facere attentissimè cœpit. Inter sacrificandum, post initium Canonis, Ecclesiam Pontifice orbam memorans, Deo ac B. Virgini enixiùs commendabat. Effusè precanti B. Maria Cęlesti specie, Cęlitum septa comitatu, se offert: animoque eius diuina luce ac dulcedine delibuto, ipsum fore Pontificem indicat: & extemplo attonitę mentis oculis subducit se. Marcello tam nouę rei ac subitæ admiratio tantum repentè animi corporisque to-

*Horatius Tursellin. in Lauret. histor. lib. 3. cap. 20.*

tius

tius incussit horrorem; vt ad aram trepidans pedibus ęgrè subsisteret. Sensit Sacerdos eius administer aliquid profectò Cardinali obiectum diuinitùs, vtique cùm eius conspiceret faciem insolito quodam splendore fulgentem: mox etiam notaret totum eius corpus noua circumdatum luce. Ergo quod ipsemet viderat, deindè cùm alijs multis, tùm Raphaeli Rierę, qui rem literis prodidit, pro familiaritate narrauit. Quin etiam Cardinalis ipse necessariorum, qui spectaculo adfuerant, precibus fatigatus, enuntiauit denique totam rem, vti gesta erat: ac simul adiecit, tantùm vtique Pontificis munus longè altius esse fastigio suo: ac propterea Deum fortasse alium sibi Vicarium quęsiturum. Vt Marcellus igitur Romam attigit, facilè quidem euenit quod Deo cordi erat. Nam 39. Cardinalium suffragijs, Ranucio Farnesio, & Guidone Ascanio Sfortia, eius promotionem maximè procurantibus, die 5. Idus Aprilis ad Catholicę Ecclesiæ gubernacula Carolo V. Cęsare electus fuit. Sed non tacendum quod à Victorello refertur. Ioannes enim Petrus Carafa, Cardinalis Theatinus, sacri Collegij Princeps, qui septuagesimum nonum annum agebat, cùm intellexisset agi in Comitijs de Marcello Cardinali S. Crucis in Romanum Pontificem eligendo; statim ad eum, quinquaginta tres annos natum, accurrit: & cùm Marcellus illi dixisset, supremum S.R. Ecclesię fastigium ei deberi; Nihil magis cupiui, respondit, quàm in Diui Petri solio optimum, sacroque zelo feruidum Pastorem aspicere: & iam Deum votis annuisse cognosco. Quare statim ante illum venerabundus poplites flexit, aliosque ad idem præstandum hortatus est. Electus ergo Marcellus Pontifex, & altera die ab eodem Ioanne Petro Cardinale Carafa Episcopo Ostiensi Romanus Episcopus consecratus, Pontificij Tiaram Imperij à Francisco Pisano S. Marci Cardinale suscepit. Eius recta mens adeò solicita miserę ambitionis cupiditate vacabat, vt omnibus dignitatibus summoque

Pon-

Pontificatui præferendam vitæ innocentiam in suffragijs pręcipuè ferendis necessariam affirmaret. Illaque tanto Viro digna sententia celebratur: *Pluris fieri debere in Comitijs integrè & incorruptè versari, quàm creari Pontificem*. Illud etiam crebris solebat vsurpare sermonibus, se nunquam permissurum, vt quibus esset animarum credita administratio, à suis abessent Ecclesijs, neue politicæ Iurisdictionis munia tractarent, quando id Ecclesiastica disciplina indignum, & Antistitum muneri, & sanctitati turpissimum videretur. Virisque profanis, ac sacris haud initiatis ordinibus, huiusmodi officia, omnemque politicam Iurisdictionem committere cogitabat. Emendandæ verò Romanæ Aulę & Vrbis tanto desiderio tenebatur, vt propterea Ioannem-Petrum Cardinalem Carafam, quem in oculis ferens vnicè diligebat, eodem in Palatio secum manere iusserit, vt omnia eius consilio gererentur. Sed meritò eius vitę autor exclamat: O miram cęlestium voluntatem! Pontificem sanctitate, moribus, & doctrina mirabilem, tam citò rapuerunt, quàm citò dederant. Nam solennibus Dominicę Passionis & Resurrectionis cęremonijs fatigatus, ex pituita febri corripitur: ac mox recrudescente morbo eum apoplexis inuasit, quæ paulatim omnes sensus atque sequenti nocte vitam eripuit. Nec defuere qui eum veneno sublatum suspicarentur; quod impius Chirurgus occulto vlceri, quo Marcelli crus iam pridem infestabatur, solicitatus à tantæ virtutis hostibus illeuisset. Eum Malachias *Frumentum floccidum* in suis vaticinijs appellarat, quòd frumenti spicam in tessera & valetudinem infirmam haberet.

---

## PAVLVS IV. PONT. CCXXVII.
### Anno Christi MDLV.

*Olim cum S. Caietano Ordinis Clericorum Regularium Autor.*

Ioannes-Petrus Carafam prope Furcas Candinas, vbi

Spu-

Spurius Posthumius pacem cum Samnitibus fecit, non in paternæ ditionis Oppidulo, quod S. Angeli è Scala nuncupant, vt Panuinius & Ciacconius aiunt; sed Capriliæ, qui vicus est etiam in Hirpinis 3. Kal. Iulij reparati Orbis anno 1476. regnante Neapoli Ferdinando Primo Aragonensi, Sixti IV. Pont. Max. anno 5. in lucem editus fuit: Patre Ioãne-Antonio celeberrimo viro, Diomedis Carafæ Matalunæ Comitis filio, Matre verò Victoria Camponesca, quam Petrus Lallus Aquilanorum primarius Ciuis genuerat. Sed antequam ederetur, prænuntiatæ illi Christiani Orbis summæque dignitatis Infulæ fuerant. Enimuerò quo maximè tempore Victoria vterum gerebat, accidit vt montem, qui à Virgine nuncupatur, equo conscenderet, vt dicatum inibi celebratissimum Deiparæ Templum studio religionis inuiseret: cùmque difficili quidem, abruptoque itinere vteretur, quidam Eremita, ætate ac vultu grauis, & qui habitu incessuque insignem præ se pietatem ferebat, Matronæ occurrit; monuitque, vt caueret sibi in ea montis asperitate, ac vehi sensim pateretur: quippè quē vtero gestabat, futurum aliquando summæ diuinæque virtutis virum, atque Orbis Christiani parentem publicum, sciret: qui scilicet (vt Abrahamus Bzouius addit) *rebus magnis Orbem impleret, atque in primis efficeret, vt Ecclesia esset sine ruga & sine macula, nec habens ampliùs aliquid, quod cuiusquam oculos aut aures offenderet*. Quod breui comprobari exitu visum fuit; cùm Victoria illucescente aurora, Ioannem-Petrum, antequam Obstetrix accurreret, sine nixu aut dolore peperit, ipso Apostolorum Principis peruigilio. Puer optimè educatus, ab egregijs præceptoribus ita institutus fuit, vt cùm Latinam Græcam & Hebraicam linguam perdidicisset, doctissimus euaserit in omnibus disciplinis, ac summos etiam Philosophos ac planè Theologos antecelleret. A magno illo Cardinali Oliuerio Patruo suo Romam igitur euocatus, & Apostolicam in

*Panuin. in Vita Pauli 2. edita.*

*Cynus Campan. or. de laudib. Pauli IV.*

*Silos par. 1. lib. 8. fol. 320.*

*Bzou. sub an. 1524.*

*Bzouius ib. Oldoinus in Paulo IV.*

Aulam admissus, pluribus summis Pontificibus inseruiuit. Mox Theatinus Episcopus ab Iulio II. renuntiatus Apostolicus Nuntius Neapolim missus fuit, vt Regem Ferdinandum exciperet: quod tanto cum splendore ac decore contigit, vt dicere postea solitus fuerit, tunc primùm agnouisse se Infulæ suæ decus ac maiestatem: cùm nempe præeunte longo linteatorum Clericorum agmine, stipatusque honorifica Antistitum corona, splendido cultu ac pompa, Ferdinando obuiam prodijt. Neapoli Apostolicæ Sedis Nuntij appellatione ac munere hæsit. Sed die Iunij mensis vigesima, Theatũ abijt: & fausta gentium omniũ affusione, solennique vt moris est ritu, eam est Vrbem ingressus, vbi multa præclara eius facinora memorantur: pręsertim quòd Archidiaconum ipse suum publica censura multauerit. Nã qui cæteris ad virtutem incitamento esse debuerat, is præter reliquam oris speciem, barbam ad castrensem prorsus formam atque imitamentum nutriebat. Sæpeque monitus cùm minùs proficeret, Viri contumaciam ac præcipui Sacerdotis exemplum optimus Antistes non diutiùs ferendum putauit. Quare præsenti auctoritate vigoreque animi vtendum ratus, militarem eam barbam, ad honestatis mensuram ac specimen, publicè ipsemet sua manu in Ecclesia detotondit. Deindè sub Leone X. ad Concilium Lateranense Romam profectus, cùm Populonij incendium sanè ingens offenderet, quod toti Oppido exitium afferebat, iussit vt scalas parieti proximo ignibus admouerent; quas ipse fiducia in Deum plenus conscendens, cereum agniculum, què è collo suspensum ferebat, in flammas conieecit, quæ non sine omnium stupore illicò euanuerunt. A Leone X. iussus vt Lutheri hæreses confutaret, egregium Volumen conscripsit: Sodalitatem Diuini Amoris instituit: multisque alijs in rebus adhibitus, par omnibus, inter alia, Ludouicum Francorum Regem, Pisanorum Patrum fautorem, ac propterea Pontifici infensissimum hostem ad bo-

*Bencius or. 21.*

nam

nam mentem, Romanæque Ecclesiæ venerationem reduxit, Pontificijs pedibus aduolutum. Deindè Sedis Apostolicę Nuntius cum potestate Legati à Latere ad Henricum Regem in Angliam missus fuit: cùm syncera incorruptaque adhuc ille mente floreret, non dum ex optimo pessimus: fuitque illi ob rerum pulcherrimarum notitiam ac studium vehementer carus, vt in illius frequenter ore ac laudibus esset. Post triennium, cùm Romam exacto præclarè munere cogitaret, accersitus in curarum ac consiliorum partem fuit à Ferdinando Catholico: factaque, Regis opera, à Leone X. facultate, in Hispaniam soluit, instituto per Belgium itinere; tum vt Carolo Austriaco, quem rescjuerat iter Hispanicum adornare, in ea per Oceanum velificatione iungeretur: tum quia Margarita Austriaca, Maximiliani Primi Cæsaris filia, & Caroli Amita, quæ tunc Belgio moderabatur, compositis ad eum literis prolixiùs orauerat, eò vt concederet: quippè quòd ipsum de facie noscere & alloqui cupiebat. Suscepta igitur cum Carolo nauigatione, in Hispaniam applicuit, anno eius seculi quintodecimo. Gratulatus Ferdinandus eius aduentum, honorificè habuit: Regnorum consilio statim admouit: cumulauitque Regij Sacelli Vicaria dignitate: tametsi Ciacconius ac Bouerius alijque permulti Carafam in Hispania Magnum Cappellanum appellent: quo munere sub Carolo Hispaniæ Rege, postea Imperatore, vsque ad Hadriani VI. tempora, laudabiliter functus est. A quo Pontifice Romam accersitus, & in Vaticanas ædes exceptus, corrigendis hominum moribus, & restituendæ Religionis Christianæ disciplinæ præficitur; incredibili apud eundem Hadrianum gratia, quocum ob similitudinem morum vetus in Hispania consuetudo intercesserat. Sed Hadriano Optimo Pontifice extincto, à Clemente VII. electus fuit, vt Romani Cleri ordinationibus & morum emendationi preesset. Eodenque momento temporis, quo S. Caietanus

*Bzouius lo. cit.*

instituere ad Apostolicam normam primum Clericorum Ordinem cogitauit, diuinitùs eandem ipse mentem concepit. Cumque S. Viri propositum audiuisset, statim illum adiuit: ac flexis etiam humi genibus instantissimè petijt, vt sodalis asciseeretur: & tunc Theatinæ ac Brundusinę Ecclesiæ, quam à Carolo V. acceperat, spontè renuntiauit: & ab ijs Clericorum Regularium Ordo anno 1524. Vaticana in Basilica, ad aram Principis Apostolorum, est institutus. Eaque S. Caietani humilitas fuit, vt vnà cum alijs Ioannem-Petrum elegerit, qui fundatam Congregationem administraret. Post Vrbis direptionem Roma profectus Venetias cum socijs se recepit: eoque Pontifex in rebus grauissimis vtebatur: quoad anno 1535. Romam à Paulo III. bis per literas euocatus tandem præcepto compulsus fuit Pontifici obtemperare: Romæque grauiter ex morbo decumbens à Pontifice missum (more insolito) purpureum Pileum accepit. Ioannis-Petri virtutes Ianus Vitalis ita descripsit:

*Silos p.1. lib.2. fol. 35. Caracciol. in Vita Pauli IV.*

*Cui radij occulta radiant virtutis & æqui:*
*Cui forma & facies cernitur apta Deo:*
*Ardua qui semper meditatur, & ocia semper,*
*Ceu pestes animi, desidiamque fugit:*
*Cui nihil occultum fecit natura, Deusque;*
*Seu terræ quæras abdita, siue poli:*
*Cuius in ore habitat dulcissima suada diserto:*
*Omnia qui blando mitigat eloquio:*
*Qui vanas prædiues opes; spinosaque mundi*
*Mutauit leni commoda pauperie,*
*Posthabitisque opibus cæci pellacibus Orbis,*
*Thesaurum inuenit, diuitiasque Dei.*
*Mox illi inuidit Princeps Romanus honores,*
*Quos bona paupertas, integra semper, habet:*
*Inuitoque caput Tyrium circuntulit ostrum,*
*Et partem auræ iussit habere suæ.*

No-

Notat Panuinius, adeò Theatinos Patres fuisse pauperes, vt cùm nulla in cubiculo mensa esset; Carafa iusserit, Cardinalitium Pileolum, quem illi Paulus Pontifex miserat, ad parieti infixum clauum appendi. Itaque Ioannes Petrus accepit tandem (vt cum Cyno Campano loquar) quod sibi à magno Paulo oblatum est, non ignarus, Principibus obedientem esse oportere: adeoque ingentem, amplissimo Patrum Collegio, splendorem attulit, vt sol quidam inter sydera repentè ortus videretur. Tunc religionis fundamentis aliquantulùm debilitatis, verum & solidum accessit firmamentum. Tunc qui de religione, aut de Republica Christiana palam vel occultè malè sentirent, languescere & detineri. Tunc qui non tam priuatis quibusdam aduersari, quàm cum superis ipsis bellum gerere videbantur, more Gygantum labefactari & impelli. Tunc qui ad eandem sectandam Hussensium, Valdensium, & eius generis portentorum impietatem, euertendamque religionem, vel nouarum rerum cupidi, vel delirantes soliciti fuerant, mœreri, dolere, ingemiscere, pallescere. Tunc teterrimarum disputationum arma retundi. Tunc qui verbum quoduis minimum contra religionem vnquam protulisset, vel quoduis eiusmodi cogitasset, lingua & ingenio caruisse cupere. Verebantur enim id quod postea fœlicissimè contigit, ne Cardinali Carafæ à summo Pontifice ad insectandos fidei Religionisque inimicos cura demandaretur. Qui timor cùm maleficos non fefellisset, & huic in crudeles Aduersarios fuisset demandatum imperium; is quam primùm nobilem illam sanctissimorum septem Virorum Congregationem, more Lacedæmoniorum & Atheniensium, Principis iussu instituit: ex qua, tanquam ex equo Troiano, Doctores illi eximij improbos, nefarios, religionisque contemptores adorirentur, & corriperent. Hactenùs Cynus. Cùm ipse igitur Romæ sanctæ Inquisitionis Tribunal instituisset, & in cuiuscunque generis homines

mines qui aliquid deliquerant zelo fidei permotus inuehe-retur, omnium hæreticorum scelestorumque hominum ca-lumniam subijt. Cùm verò magni Principis Legatus ma-iori quidem libertate ac supercilio quàm summi Antistitis maiestas ferret protestationem obiret; ob rei nouitatem, reliqua Purpuratorum corona admiratione defixa; Cardi-nalis Theatinus, quæ eius erat præclari atque ingenui pe-ctoris generositas, vultu quidem ad omnem dignitatem grauitatemque composito surgens, hæc elata voce ad Pon-tificem ait; Beatissime Pater, quanquam te tuique fastigij celsitudinem tangat repetitus Oratoris hic sermo; attamen respondere te homini, infra tui Maiestatem arbitror: cum-que primas ipse in Concilij Congregatione obtineam, sim-que cæteris æuo maturior; ad me rectiùs spectare munus hoc puto. Tum ad Pontificem accessit vir egregius; adni-susque genibus dixit, *Iube Domne benedicere*: cui ille bene precatus ijs verbis est, *Dominus sit in corde tuo & in labijs tuis*. Interea magnam eam indolem ingentesque animos admirati amplissimi Patres, suspensi animo expectare, vt il-le primarum veluti partium auctor, theatro, quod sibi ex-citauerat, responderet. Theatinus verò nulla mora lucu-lentam grauemque ex tempore orationem sic adornauit, vt dicta omnia admirabili eloquentia confutauerit, perstricta etiam viri licentia, vt vix ille hiscere auderet. Quem, vt finem dicendi fecit, amplexatus est Pontifex: suaque ipse manu, manantem illi fronte ac vultu sudorem abstersit. Tum ad Nepotes suos; Mirabilem hunc virum, inquit, ho-nestare pro meritis dignisque honoribus, vt votum esset, cumulare ipse non possum: vobis relinquitur hæc eximia animi magnitudo & virtus amplificanda. Quo eos monere voluit non obscurè, vt dignissimum summa Infula caput, ad id ipsi fastigij dignitatisque postea prouocarent. M. Antonium Flaminium agentem penè animam à Carafa sa-nitati redditum esse; ne dum Panuinius, Bzouius, Victo-

*Panuin. in Vita 2. edita. Victorel. in add. Ioannes Rhò in virt. histor.*

rellus,

rellus, Grauina, Donius, Oldoinus, ac nostri etiam homines attestantur; sed & ipsemet Flaminius Hieronymo Turriano *lib.5.carminum* ita narrat:

*Quid piæ valeant preces, benignas,*
*Vt Dei penetrent supremi ad aures,*
*Disce candide Turriane: Febris*
*Et sæuus lateris dolor misellum,*
*Tuum Flaminium furore tanto*
*Inuasere, magistra vt ars medendi,*
*Et quisquis leuat ægra membra succus*
*Cederent: capiti meo imminebat*
*Mors nigris tenebris operta: honorem*
*Supremum mihi funeris parabant.*
*Infandum veteris sui Clientis*
*Cùm casum miseratus ille magnus*
*Carafa, Italiæ decus Carafa,*
*Ad Cœlum geminas manus tetendit,*
*Multis cum lacrymis Deum salute*
*Orans pro mea: & ecce acerba fugit*
*Febris, & lateris dolor, refectæ*
*Vires: & teneri mei sodales*
*Cantu & lætitia graues querelas*
*Mutarunt, lacrymasque: Amice dulcis*
*Dic laudes superum benignitati*
*Pro vita mihi restituta & aura*
*Qua vehor placida: quòd alma pulchri*
*Solis lumina cerno; id omne Magni*
*Acceptum precibus refer Carafæ.*

Quomodò verò ad Catholicā Fidē ipsum Flaminiū ac permultos alios etiā Carafa reduxerit, apud Bzouiū & Grauinā legēdū. Deindè Archiepiscopus Neapolitanus renuntiatus, propter mendacia, quæ in laudatissimi viri famam liuor inspersérat, id muneris capessere & administrare non poterat. Quocirca Iulius III. scripsit ad Cæsarem Pontificias literas,

teras, quæ sic habent: *Carissime fili, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Non parum admirationis & molestiæ nuper accepimus, quòd Venerabili fratri nostro Ioanni Petro Cardinali Neapolitano possessio suæ Ecclesiæ Neapolitanæ per tuos denegata fuerit, quamuis ipse omni laude & virtute eniteat --- nisi tua bonitas & iustitia contra maleuolorum calumnias ei subuenerit: qui, sicut nobis relatum est, non videntes, quomodò in tam perspicuo iure ei nocere via ordinaria possent, quin eandem Ecclesiam assequeretur, ad maledicentiam se conuertentes, ipsum Cardinalem apud tuos traducere infamiaque aspergere non dubitarunt --- Nec verò nos quid tale de hoc Viro audiuimus --- vt qui sacra vel lectioni vel operationi vel meditationi ferè semper affixus est. Non putamus fili carissime hæc tibi verisimilia visa esse, si modò audisti: nihilque in tota fabula hac te reperturum credimus præter vanam calumniam, hoc ipso tempore à maleuolis ob id confictam vt ipsum Cardinalem ab ipsa possessione excluderent. Cuius impij sui voti ne compotes per se fiant, tuæ bonitatis est prouidere: quò enim maior est tuæ benignitatis sublimitas, eò magis ad magnitudinem animi tui pertinet ora obloquentium & detrahentium obstruere, & incompertos ac vanos susurros non admittere, qui ab odijs & maleuolentia plerunque oriuntur: semperque maxima fuerunt digni laude Prædecessores tui Cæsares etiam Ethnici, qui huiusmodi maledicentijs aures in tantum non præbuerunt, vt etiam tota scrinia libellorum & literarum comburi iusserint, ne cui pernicies per hæc pararetur. Quæ nos quampluribus verbis ideò prosecuti sumus, quòd de protegenda dicti Cardinalis innocentia, & de illius Ecclesiæ vtilitate apud te promouenda laboramus, quam tali Pastore priuari vtique nollemus. Quem sanè Nos illi Ecclesiæ & Clero Neapolitano necessarium arbitramur, & perutilem fore speramus, Est enim hic Vir, vt nosse te arbitramur, doctrina, prudentia, pietate, & morum grauitate, & exemplari vita conspicuus ---*

*Quam-*

*Quamobrem fili carissime, cùm huiusmodi possessio sine nostri ac tui honoris diminutione diutiùs differri nequeat, --- Te hortamur & rogamus, vt primò ipsum Cardinalem, Virum quidem eminentem virtutibus, & omni laude cumulatum, in tuam gratiam recipere; deindeque possessionem, quam sine tuo scitu & voluntate ei denegatam fuisse credimus, ipsi Cardinali tradi facere sine alia mora velis &c.* Hæc ad Cæsarem Iulius Pontifex: eaque fuit dictorum fides ac momentum, vt euicerit statim quod postulauerat; iusseritque confestim ille, vt Cardinalis Theatinus possessionem iniret. Elato deindè Iulio, cùm in Comitijs cœptum iam agitari de Marcello rumor attulisset; consertum ipse protinùs Collegium Purpuratorum Patrũ conuenit, inter quos & Cardinalis Sanctacrucius; ingentique animo hæc habuit: Meam equidem conscientiam, tùm Romanam potissimùm Ecclesiam, ac præclara Cardinalis Ceruini merita non minimùm læderem, nisi apertè, & ex animo testarer, non alium me illo, supremo hoc munere ac loco digniorem agnoscere: proindeque in tanto Viro honestando facem præferam Ego Cardinalis Ostiensis: statimque in genua prouolutus auspicatus comitia ipse est. Cumque Marcellus, dùm Theatinus procumberet, ipsi potiùs, qui inter publicas Christianæ rei curas consenuerat, eam dignitatem deberi profiteretur; respondit se nihil optasse ac nouisse impensiùs, quàm vt eo in loco optimum flagrantemque zelo Pontificem intueri contingeret: exauditum à Deo cumulatè se gratulari; ac proindè nullam laudatissimæ suffragationi moram inijciendam: quare & adorauit ipse, & alios exemplo ac verbis est cohortatus vt pergerent. Idque ea quidem mentis alacritate ac celsitudine, vt mirarentur profectò omnes, quòd præcideret vltro sibi vir egregius spem omnem ineundi Pontificatus: profunda siquidem ipse senectute, ac prope Octogenarius erat, cùm annum Marcellus ageret non vltra tertium & quinquagesimum. Ipse in primis

Pontifex inauguratus magnam Theatini indolem dilaudauit: eiusque se ope, ac magnanimitate, qui agmen duxerat, consecutum maximum honorem deprædicauit. Quare tùm hoc nomine, tùm quòd amplissimi Viri sapientiam plurimi faceret, atque vti eius consilio in ea Christianæ Reipublicæ temperatione vellet; adornari illi in Vaticanis ædibus domicilium iussit. Sed vix tanti Pontificis electio Vrbem atque Orbem vniuersum exhilarauit, cùm immatura sanè mors mœrore omnes affecit. Cōclaue ergo Patres rursus ingressi sunt: & die festo Dominicæ Ascēsionis anno 1555. 10. Kal. Iunij, Ioannes-Petrus Carafa à 44. Cardinalibus Pontifex Max. non sine omnium admiratione delectus fuit. Nunc aliquot eius præsagia referamus.

*Sil. in hist. p. 1. lib. 8. fol. 318.*

Constat nanque, Silos ait, plurium scriptorum testimonio ac fide, prænuntiatos Carafæ publicæ rei Christianæ fasces; idque non modò paulo ante quàm Pontifex renuntiaretur; verùm cùm non dum lucem aspexisset, ac multis etiam retro seculis: vt liceat comprehendere, quàm maturus terrarum Cælique Præfecturæ tandem accesserit, quem tanto ante Maximum Antistitem tempora consignarunt, aut præoptarunt. Et quidem assolet, inquit, Diuinum Numen, quæ maxima in terris sunt, priusquàm eueniant, luce quadam præuia indicare tum polliceri. Regna præsertim cùm Rectores mutant, persæpe Cæli aut hominum linguam prædixisse exploratum est. Pontificum verò historias euoluenti occurret non semel præsignificata plerisque, haud dubijs quidem indicijs, summæ Potestatis insignia. Et quidem Gregorius VII. Natione Tuscus, Cluniacensis primùm Monachus, Hildebrandus nomine, postea Pontifex, sua vir tempestate famaque summus, quem diuino afflatum Numine futura etiam intueri solitum narrat apud Baronium. Guilielmus Malmesburiensis eius seculi scriptor; vt sibi puer Romanum Principatum prædixit, ita prænuntiauit Ioanni Petro Carafæ, ac marmori ad posteritatis docu-

documen-

cumentum incidit: quod Iulius Antonius Sanctorus amplissimus perindè & grauissimus Cardinalis S. Seuerinæ literis ad amicum datis repertum cum hac inscriptione testatur: *Quinquagesimo quinto tertio à Martio, Io. Pet. post Crucem sedebit Pont. Max. Petri dies attingens: de quo quidem cùm seculi sui Pontificum Gesta sit superaturus, Hildebrandus diuino hoc afflatu præsagiens, hac posteros memoria commenefecit. An. D. M. L.* Cuius Vaticinij est explicatio: Anno Domini supra sesquimillesimum quinquagesimo quinto, Maio mense, qui à Martio est tertius, Ioannes-Petrus Carafa Pontifex Romanus inaugurabitur post Cardinalem sanctæ Crucis, qui fuit Marcellus secundus. Annos Petri attinget, eius videlicet ætatis, quæ & si minùs constet, scriptoresque variè adnotarint; nihilominùs intra annum octogesimum sextum colligitur excessisse; ac proindè proximè ad illam accessisse Pauli IV. æuum, qui annum quartum supra octogesimum vixit. Post Hildebrandum Malachiam Episcopum Hibernensem adiungimus; qui seculo duodecimo egregia virtutum fama cum primis floruit, eiusque vitam insigni sanctimonia exactam Latinè Diuus Bernardus, Italicè verò D. Ioannes Germanus & egregiè literis consignauit. Is quippè illustrata diuinitùs mente annisque labentibus ac posteritati præsens, inter futurorum Pontificum prædictiones, hæc ait: *De fide Petri.* Quæ sanè verba de Paulo Quarto perquàm aptè pronuntiari, omnes facilè intelligent: tum quòd Petrus ipse vocabatur, flagrauitque insigni in Apostolum Petrum religione: tum verò quòd tuendæ amplificandæque Orthodoxæ fidei zelo vehementer incensus, rei Christianæ nemo meliùs insudauit. Propiùs ad Paulum IV. D. Nicolai Tolentinatis ex Silo præsagium, quod Bibliotheca in Vaticana habetur, accessit: *Seuerus Iudex in senectute sua gladio & carcere disperdet impia.* Quid aptius? nam seueritatem quandam ore ipso ac supercilio præ se tulit, in perditissimos Noua-

tores, sceleſtoſque homines vehemens. Ad hæc Marcellus ipſe Secundus viſus eſt deſignaſſe Vaticinio ſucceſſorē Cardinalem Theatinum, vt autor eſt Ioannes-Paulus Flauius & Panuinius. Iuſſerat enim Pontifex, vt meminimus, Pontificijs illum in ædibus habitare, vt ſine eius conſilio nihil ageret: cumque non ita commodum contigiſſe illi domicilium intellexiſſet; *Cedemus nos*, inquit, *ex hoc loco, vt ne tanto Viro deſit locus*. Quod, quaſi ita futurum diuinus ille ſanè Pontificis animus præſagiret, paulò poſt euēniſſe compertum eſt. Siquidem Roma, intra bimeſtre, & defuncto Marcello illacrymauit, & ſumma inauguratum Tiara Cardinalem Theatinum conſalutauit: ac Paulo Quarto Marcelli Secundi domicilium ceſſit. Pontificiæ item dignitatis atque Infulæ ſuæ Vates ipſemet ſibi viſus eſt illam prænuntiaſſe. Renuntiato ſiquidem Marcello æui non admodùm maturo cùm mœrere ſuos cerneret, atque abieciſſe ſpem omnem fore, vt ipſe defecta iam ætate octogenarius Pontificatum conſequeretur; ingenti quadam Indole ad illos, *Confidite*, inquit, *non dum venit hora mea*. Quæ ſanè citiùs, quàm reputare cuiuſque animus poſſet, Theatino profundè ſeni, ſummam eam poteſtatem maturauit, quàm nuper voce, diu ante digna celſiore quouis culmine virtute, ſibi præſagiuerat. Præterea S. Caietanus, cùm ſodalem ſuum, & Ordinis Confundatorem, purpura exornatum inſpexit, futurum eius Pontificatum indicans ait: *Promouebitur, Nepotum ſuorum non tamen emolumento, ſed damno*. Quod ipſe etiam Carafa Pontifex, vt in Pio IV. videbimus, affirmauit. Poſtremò, cùm ad ipſa eius Comitia ventum eſſet, & Conclaue Patres ingrederentur, obuiam factus ille Orator, quem ipſe in Conſiſtorio confutauerat; Domine, inquit illi, de Pontificatu non cogites, quòd iam à Carolo V. Cæſare excluſus es: Cui Cardinalis Theatinus nihil moleſtia affectus, & magna animi conſtantia, voceque ac vultu graui reſpondit: *Imperatorem demiſsè vene-*

*Panuinius. loc. cit.*

*August. Oldoinus in Vit. Pauli IV.*

*veneror: sed is impedimento esse non potest, quin, si me Deus velit, Pontifex Maximus euadam: & id lucro mihi erit ac bene vertet, vt eam dignitatem tunc acceptam referam vni Deo.* At satis prædictionum. *Caracc. alijque in vita.*

Mutato de more nomine, Paulus vocari voluit ac sibi tesseram vsurpauit è Psalmo centesimo decimo septimo excerptam: *Dominus mihi adiutor est*. Qua sanè flagrantissimo Pontifici nihil accommodatius; quippè qui in Christiani Orbis procurationem ingressus, id planè mentis ceperat, vt emendata Aulæ disciplina, profligataque hæresi, quæ malis dæmonum, prauorumque ingeniorum artibus, Catholicorum animos occupauerat; Ecclesiam repurgaret, moresque mortalium erudiret, refigeretque. Meminitque hoc Pauli dictum Brochius in suis Commentarijs vbi ait: *Id symbolum, Dominus mihi adiutor, sibi adscripsit Paulus IV. Pont. Max. vitæ innocentia, religione, morum grauitate, & doctrina præstantissimus.* Consequenti mox die Dominico inauguratus, ante Vaticanam Basilicam, est Pontificatus insignibus: neque eadem in solenni ea luce omnibus hilaritas fuit, imò ingens quædam ac publica populorum mœstitia. Principem nanque, si studiosus fuerit disciplinæ, perrarò plurimorum plausus excepit. Sed ea ipse clementiæ atque amplitudinis laude Romanorum animos cepit, obstrinxitque; vt obliti indolis austerioris ac metus, ad grati animi monimentum, statuam in Capitolij Arce beneficentissimo Pontifici consecrauerint; Romanosque Proceres centum addixerint eius Aulæ, qui Equites à Fide vel Columbæ sunt appellati. Nec prætermittam auspicatissimè Paulum Pontificatus sui Imperium inchoasse: quo enim die inauguratus est Pontifex, eodem tres Legatos Anglos splendidissimè ac honorificentissimè excepit; qui conciliatam Romæ Britanniam, auitæque religioni restitutam, veluti in triumphum tanti Pontificis attulere. Neque dissimulandum, quod Sanderus scripsit; Le-

*Sand. de schism. Angl. lib. 3.* gatos illos ab eo cultu ac maiestate Romanæ Sedis, præsertim à Pontificis humanitate, vsque adeò erga Orthodoxam Fidem affectos deinceps fuisse; vt mutata non post multo Mariæ funere minùs tempestiuo scena, ac succedente ad Anglicanæ rei cladem Elisabetha, adduci ipsi nunquam potuerint, vt aliud præter quàm quod Romæ adorassent; Ecclesiæ caput venerarentur; Iussisque Reginæ insidijs ac minis, Catholicum nomen ac decus strenuè propugnasse. Iussit deinde Pontifex vt nostri homines Romæ S. Siluestri Domum incolerent: dieque decima septima mensis Nouembris inita possessio fuit, à Paulo Consiliario, à Ioanne Marinonio, & Bernardino Scoto, quos Paulus Romam vocauerat, magnis Infulis honestandos. Mox quod Orbi Christiano emendando, fideique repurgandæ necessarium maximè duxit, ac moliri strenuè cœpit, Concilium Generale fuit, quod Romæ cogi, ac Lateranense appellare, consilium erat. Huc enimuerò curas, conatusque omnes aduertisse videbatur, veluti opportunissimum, & communissimum publico malo remedium; statimque cum Regibus, Catholico, & Christianissimo, transigi voluit per Legatos, vt fauerent maximo operi; suorumque Regnorum Antistites conuenire & conferre capita sinerent. Romæ verò adornari Oecumenicam Synodum peroptabat, quòd deuexa nimiùm ætas aliò conferre se non permitteret: reputaretque, cæteroquin sui præsentiam tantæ rei expediendæ oppidò necessariam; vt oborta in tanta capitum celebritate dissidia, morasque ipse præcideret. Sed dæmon emendationi morum infensus hostis has omninò curas infregit, Nam bellum eius opera exarsit; in quo & Pauli IV. constantia & Philippi Secundi Catholici Regis quammaxima pietas vehementer emicuit. Cùm enim Albæ Dux (vt citato Panuinio Victorellus obseruat) non excepisset bellum, sed Pontifici, ex suspicionibus, vt antiuerteret, militaris gloriæ cupidus, cui cum laude assueuerat, intulisset;

tum multa Ecclesiasticæ ditionis Oppida quæ ceperat futuro Pontifici reseruaret, & pacis conditiones à Paulo Pontifice peteret, quas ille minimè dandas arbitrabatur; pientissimus Rex Philippus eidem omninò Duci rescripsit & imperauit, vt & arma deponeret, & se Romam conferret ad Pontificis pedes, Anathematis absolutionē exoraturus: qui tamen à Paulo composita pace honorificè exceptus fuit. Cæterùm hìc compendio aliquot Pauli gesta complectar. Sacrum Inquisitionis Tribunal quod Cardinalis erexerat firmissimè stabiliuit: & decem Cardinales, qui huic iudicio interessent attribuit, quos inter maximum Inquisitorem Fr. Michaelem Ghislerium cognomento Alexandrinum creauit; quem Pontificem futurum cupiuit, atque prædixit. *Victorel.* Ne aliquis hæreticus error animis piorum obreperet, librorum à se damnatorum indicem edidit. Cùm suorum crimina sibi delata cognouisset, frequenti Senatu in eos vehementer inuectus, Vrbe cedere omnes, & duodecim ad discedendum præscripsit dies. Catholicum & Christianissimum Reges firmissima inuicem pace conciliauit. Magistratus à suis collatos, & tributa quæque, se inconsulto, indicta protinùs sustulit. Cardinales 20. & inferioris ordinis 40. Patres legit, qui secum per singulas hebdomadas certis statisque diebus ciuium querimonias exciperent, & totius Ecclesiastici Imperij causas cognoscerent, vt clariùs suorum culpas indagaret, ius ex æquo omnibus se redditurum pollicitus. Qua in re, miram, omnium sententia, æquitatis & iustitiæ gloriam reportauit. *Ciacc.* Semel tamen cuicunque hominum generi publicam audientiam in menses singulos exhibebat. Singulari beneuolentia Ordines religiosos prosequebatur. Vt Monasticam Benedictinorum Hispanorum disciplinam collabentem erigeret, viros *Victor.* Apostolica à se potestate instructos in Hispaniam misit. Dominicanum (cuius ipse Protector fuerat) & Franciscanum cœtus in oculis tulit: ex vtroque viros egregios vocauit

ad

ad purpuram. Suum verò Theatinum Ordinem tenerrimè amauit: nonnullis ex eo Purpuram obtulit, qui constantissimè recusarunt: ac Bernardinum Scotum præcepto compulit vt acciperet, ac sibi à Confessionibus esset: Paulum Consiliarium, Hieremiam Isachinum, atque alios è nostratibus apud se habere voluit, vt.& sermonibus & consilijs vteretur; & vnà cum ijs Horas Canonicas in odeo quotidie decantaret. Societatẽ Iesu valde dilexit, ac S. Ignatium ad se accedentem honorificè excepit. Lainio pileum purpureum obtulit: quem Præpositum Generalem creatum cùm ad pedum oscula cum vniuersa Congregatione admisisset, orationem Latinam & disertissimam habuit, in qua paternum erga Societatem studium patefecit. Idemque præstare solitus erat cum alijs religiosis Ordinibus. Diuum Philippum Nerium magna tum sanctitatis opinione florentem, qui suam Congregationem cum aliquot viris insignibus instituerat, plurimùm dilexit Paulus, ac honorificè commendauit: eique, in amoris & honoris significationem, duos deauratos cereos dono misit. Vrbis penuriam, quæ molestissima incesserat, bis leuauit: semel antequam bellum initum esset, iterum sedato bello. Antea enim ad subleuandam annonæ caritatem, triginta millia aureorum censum instituit: cuius fidei iussioni bona domus Hospitalis sancti Spiritus subiecit; qua pecunia frumentum inopi plebeculæ pascendæ compararetur. Postea verò, alteram Vrbis egestatem, quæ proximo bello inualuerat, magno pietatis exemplo leuauit. Triticum nanque octonis aureis pro Rubro emptum, quinis plebi vendidit: qua liberalitate quinquaginta millia aureorum absumpsit. Iudæorum synagogas præter vnam excindi iussit: eosque, vt à Christianis glauci coloris signo distinguerentur, salubriter sanxit: eorundem vsuris modum imposuit: & vilissimo Vrbis loco, certis septis, ne cæteros contaminarent, cùm antea Christianis misti degerent, conclusit. In Apostatas,

*Panu. in Vita 2. edita.*

lata

lata lege, cauit, vt ad Monasteria, vnde quacunque ex causa exijssent, protinùs reuerterentur. Indicem eiusmodi hominum singulis Ordinum Præfectis conficere, sibique exhibere iussis. Quis verò Pontificum adeò resecauit simoniæ corruptelam vt Paulus, qui à Dataria etiam quodcunque compositionis genus longè remouit? Sed vt narrationem concludam; crescente morbo, inquit Panuinius, cùm eius vita desperata esset, ad XI. Kal. Septembris hora XII. Pontifex, qui sibi mortem instare sentiebat, Cardinales omnes euocari iussit: quibus in eius cubiculum conuenientibus, admirabili eloquentia qua erat præditus, orationem habuit, ita præfatus: Viam vniuersæ carnis ingredimur, & diutiùs viximus, quàm sperare potuissemus. Mox ab eis petijt, primùm, vt si remissior in Senatu cogendo fuisset, quàm sui officij ratio postulare videretur, id ætati & incommodæ tribuerent valetudini: deindè vt consentiretur in Optimo Pontifice deligendo. Postremò sanctæ Inquisitionis Officium, quod (vt est) sanctissimum appellabat, & quo vno niti affirmabat Apostolicæ Sedis auctoritatem, eis commendauit; multisque præterea verbis se diligenter excusando, vegeto prorsus animo, Patres dimisit. Cùm Bartholomæus Cuoua Hispanus Cardinalis, vir bonus & pius, Iacobo Sabello Cardinali adstante, patrio sermone eum consolaretur; diceretque inter cętera admodùm ęgrè ferendum esse, tantę pietatis Pontificem, eo potissimùm tẽpore Reip. Christianę eripi, quo cunctis dissidijs pacatis, in Ecclesię restitutione eius opera maximè necessaria videbatur; ipse illicò eadem lingua Hispana, se ita vitę suę cursum instituisse respondit, vt quoties ex hac mortali vita ei abeundum esset, Dei vocationem propenso & secũdo animo susciperet: proindè alacriter admodùm se hinc emigrare, cùm quòd hanc Dei voluntatem esse perspiceret, tùm quòd eum Catholicę Fidei defensorem à Deo Optimo Max. delectum relinqueret (Philippum scili-

cet Hispaniarum Regem) cuius pietate & virtute Remp. Christianam afflictam proculdubiò recreari & restitui posse non dubitabat. Moribundi verò suprema verba fuere: Lętatus sum in his, quę dicta sunt mihi, in Domum Domini ibimus. Hactenùs ex Panuinio. Expirauit igitur sanctissimus Pater, XV. Kal. Septembris, feria VI. hora XXI. Videlicet illi cęlitùs datum fuit, vt Christo Domino, sexta itidem feria, & vigesimæ prima, hoc est tertia post meridiem hora, pro salute humani generis morienti, fœlicissimè commoriretur, ętatis suę anno LXXXIII. mense I. diebus XXII. Pontificatus verò IV. supra mensem II. & dies XXIV. Vereque de eo Franciscus Sacchinus *lib. 3. num. 29. in Lainio* scripsit: Quintodecimo Kal. Septembris grauis annis ac benefactis Paulus IV. Pontifex decessit. Vix eo plura quispiam & salubriora ad lapsos Reipublicæ restituendos mores, conseruandamque religionis castitatem ad eam diem decreuerat: tamen (vt est ferè iniquus arbiter populus, & seueritatis osor; apud quem vnica offensio quanuis multorum gratiam benefactorum extinguit) in demortui Pontificis, eiusque gentis monumenta fœdè sæuitum est. Fuere in metu Patres quoque Societatis, quòd fuerat in tumultu conclamatum, domos Theatinorum (quo nomine & nos vulgus appellat) solo æquandas. Nihil tamen iniuriæ, neque nobis, neque venerabilibus Religiosis, è quibus Pontifex fuerat, factum est. Hunc vulgi furorem reuersi in Vrbem suis ex Oppidis Dynastæ Romani detestati sunt: protinusque omnia, quæ Paulus sanciuerat, duplicata pœna, qui violare auderet, rata esse iusserunt. Ipsum verò Pontificem vel inimici fatebantur vitam Sanctorum modo finisse. Ita mente ac sensibus vsque ad extremum spiritum viguit, vt conuocatos Cardinales hora ante obitum Latinè facundèque alloqueretur; grauiter eis sanctæ Inquisitionis Officium, & consensionem in Pastore optimo subregando commendans. Et quoniam

niam Cardinalis à Cueua seriùs aduenit, eadem propè illi Hispanicè iterauit. Ita & rectè Sacchinus. Cur verò improbi tam acerbè oderint Paulum, & extinctum cupiuerint; Declamator quidam verè & liberè explicat hunc in modum: Quia Dei honorem zelatus est ad Christi formam: Quia de medio sustulit impios: Quia flagris cæcidit blasphemos: Quia à prædonibus tutatus est negotiantium merces: Quia flammis dedidit hæreticos & pædicones: Quia in ergastula coniecit Apostatas: Quia neminem permisit impune mœchari: Quia Iudæos conspicuo signo distinxit à Christianis: Quia quosdam immeritos indignósque noluit in Senatum Purpuratorum Patrum adlegere: Quia Aulæ mores à recto tramite deuios corrigere studuit: Quia Orbem legibus salutaribus coercuit: Quia fratris sui filios ipsemet eiecit: (è qua vel vnica re cognosci potest, carone an spiritus in eo vim habuerit.) Denique, vt finiam, quia sanctis prorsus moribus, quoad vixit, enituit. Hactenùs ille. Quocircà, P. Siluester Petrasancta è Societate Iesu *in symbolis Heroicis in elog. fol. LXIX*. Vt cogam, inquit, in arctum encomia, quæ Viri summi eius eximiæ virtuti consecrarunt; Paulus IV. audiuit meritò, Cleri Romani primus Reformator: Primus suo seculo deprecator Purpuræ; nam eam oblatam diu recusauit: Primus Apostolici Clericorum Ordinis Restitutor: Primus supremi de Hæresibus Iudicij in Vrbe Auctor: Reparator labentis Catholicæ Fidei: Spes vnica confirmandæ & constituendæ Reipublicæ Christianæ: Nulli superiorum Præsulum postponendus: Christianus Cicero: Latinus Chrysostomus: Religionis Vindex: Veræ Libertatis Assertor: Reparator Veteris Disciplinæ: Orbis Columen: Hæresum Pessundator: Vitiorum omnium perpetuus Hostis: Christianæ Legis Antistes: Religionis Vindex, Libertatis Assertor: Sanctissimus ac pijssimus Princeps: Sanctissimus & eloquentissimus Pontifex, & Christianæ Pietatis Restaurator: Sanctissimus, &

*Declam. cit. à Victorello, in Paulo 4. & Cacc. in coll. fol. 168.*

doctissimus: Vir admirabilis: Presul pietate Eximius: Virtutibus eminens, & sacræ vel lectioni, vel operationi, vel meditationi semper affixus: Eloquentia, Doctrina, Sapientia singularis: Liberalitate, animi magnitudine præstans: Scelerum vindex integerrimus: Catholicæ Fidei acerrimus Propugnator. Quod postremum eius encomium Pius V. magnus veræ Virtutis æstimator dedit. Et is nunquam Paulum IV. compellauit alio nomine, quam *SANCTVM PATREM*. Hæc Petrasancta, ad interiorem animi effigiem; cui cum Silo externam appingimus pro coronide, vt totum Paulum legentium animis oculisque subijciamus. Statura fuit ingenti: corpore gracili quidem, sed habilissimo, valentique: flexo ad maciem vultu, aspectuque subaustero: recedentes vibrantesque acriore lumine oculi: modico naso: rara, nec prolixa admodùm barba: vox grauis: compositus ad omnem modestiam ac dignitatem gestus: ardens, pronumque ad iracundiam ingenium: sed cui deferuescere statim impetus ac bilis videbatur. Denique excerpe à Maiestate, à Iustitia, à Zelo, à Magnanimitate, quicquid inest magni, ac pulchri; & Pauli Quarti Pontificis Optimi Maximi Imaginem graphicè efformasti.

## PIVS IV. PONT. CCXXVIII.
## Anno C. MDLX.

Ioannes-Angelus Medices Anno Christi 1409. pridie Kal. Aprilis, sanctissimo Paschatis die, Patre Bernardino Medice, ex Medicea Familia apud Mediolanenses nobili, Matre verò Cęcilia Sorbollonia natus, postquàm adoleuit, & Ticini ac Bononię Philosophiæ, Medicinę, & legum doctrinę vacauit, & lauream Doctoris est consequutus, octauo Kal. Ianuarij anno 1527. eadem circiter hora & die Romam intrauit, quibus trigesimo tertio anno post, sacrum Imperium consequutus est. Igitur à Paulo III. Cardinalis crea-

creatus, & S. Priscę titulum adeptus, mortuo Paulo IV. post diuturnam quatuor mensium ob varias dissensiones Pontificatus vacationem, 7. Kal. Ianuarij, hora inter septimam & octauam, quę Natalem Christi diem sequuta est, anno ineunte 1560. Carafijs maximè deprecantibus, electus est summus Pontifex à Cardinalibus 44. quòd vir simplex ac clemens ab omnibus haberetur. Sed mox ijdem Pauli IV. Nepotes acerrimum ac seuerissimum sunt experti: qualem ipse Paulus IV. fore prędixit. Cùm enim de ijsdem fratris filijs, quos cum totius Orbis admiratione ex Aula & Vrbe submouerat, sermonem haberet; Cardinali Alexandrino sibi carissimo, qui eum placare cupiebat, disertissimè dixit: *Caue ne mihi ampliùs verba facias de Nepotibus meis. Non ego in illos animaduerti, vt par fortassè fuisset. Sed is post me veniet, qui me, & quicquid ipsi patrauerint, vlciscetur.* Quod Vaticinium breui post Pauli mortem, Pio Pontifice comprobatum est: qui eosdem honoribus atque dignitatibus exutos capitis condemnauit. Eundem verò Pium, dum noctu infans in cuna esset, nescio quod lumen afflarit, cubiculum illustrans, & candelam in eo extinctam accendens, quod breui prorsus euanuit. Cùm tamen Cardinales 44. quos dixi, in Conclaui essent, Columba casu Sacellum Sixtinum per fenestras ingressa diu circumuolitauit, donec fessa, cum admiratione omnium auis quietem expectantium, eius cellę insedit; quę res tunc lusui habita, ipso Pontifice renuntiato in Prodigium versa est. Hoc Pontifice post annos 27. ab indictione Concilij, peractis 25. sessionibus, anno Christi 1563. vniuersali Concilio finis allatus fuit. Melita item Insula, prope Siciliam sita, Turcarum obsidione vexata est, quam Pius milite commeatu omnique subsidij genere iuuit. Sed cùm Turcę immanes iam Arcem sancti Elmi cepissent, Christianorum virtute propulsati, 30. millibus hominum amissis, discesserunt. Nec multo post, Pium IV. vehementis ca-

*Caracciol. in Vita Pauli IV. lib. 5. cap. 9.*

*Panuin. Ciaccon. in Pio 4. Ascanius Capric. in Annal. Italiæ. Beyerl. lit. P. fol. 537. & Bzou. de Pont. R. cap. 11.*

tharri

tharri vis, febri accedente, ad tumulum compulit, postquàm à S.Carolo Card. Borromęo Ecclesię sacramenta susceperat, 8. morbi die, hora noctis secunda, 5. Idus Decembris, Anno Christi 1565. ętatis verò suę 66. Eum dixerat *Æsculapij Pharmacum* Malachias, Mediceam vt stirpem innueret.

---

## B. PIVS V. PONT. CCXXIX.
## Anno C.MDLXVI.

*Ex Ordine PP. Prædicatorum.*

B.Pius Paulo Ghislerio (ex familia tunc tenui sed ampla quondam & Senatoria, & Matre Dominica Augeria anno Christi 1505. die 16. Februarij, festo S. Antonij, Boschi, in Diœcesi Derthonensi, sex millibus passuum ab Alexandria apud Insubres natus, in Baptismate Michael appellatus est. Anno ætatis suæ 15. sancti Dominici Religionem ingressus sacrarum literarum studijs sic operam dedit, vt Philosophiam & Theologiam professus fuerit cum laude multis in locis. Deindè Nouocomensis Inquisitor, in Rhetios ac Bergamum à Cardinali Theatino & alijs qui S. Inquisitionis Officio præerant bis missus, sub Iulio Papa III. Inquisitionis Commissarius in Vrbe creatus fuit, ab eodem Theatino Cardinali Carafa; qui, vt Gabutius ait, Ministris mandauerat, ne illum aduentantem, vt fit, adesse prænuntiarent, aut prohiberent ingressu, sed in eius intima cubicula statim ingredi permitterent. Itaque sæpius remotis arbitris secedentes inter se quamdiutissimè colloquebantur. Quod vt commodiùs fieret, Palatij sui, quam incoleret, ei partem assignauit. Et subdit: *Familiaribusque suis, atque alijs, dicebat interdum, Michaelem sanè maximum Dei famulum esse, summisque & honoribus, & dignitatum gradibus dignum.* Eundemque factus Pontifex Nepesinum & Sutrinum Episcopum, atque anno Christi 1557. Presb. tit. S. Mariæ super Mineruam mox tit. S. Sabi-

næ

næ Cardinalem Alexandrinum vocitatum, summum Hæreticæ Prauitatis Inquisitorem creauit, nouo more, inquit Cabrera; cui Victorellus hæc addit: Paulus IV. Michaelem, Vaticano Collegio iam additum, in amplissimo Patrum Senatu supremum, perpetuumque in Vniuersa Ecclesia, rerum sanctæ Fidei Censorem, insigni cæremonia, pronuntiauit. Eidenque summum Pontificatum prædixisse docet, his verbis: *Magnum illum Michaelem, quem præter morem supremum in vniuersa Christiana Repub. S. Fidei Censorem instituit, ad grauissimas res adhibuit: summum vniuersæ Ecclesiæ Pastorem cupiuit, & futurum prædixit*. Cùm verò Paulus, antequàm animam exhalaret, supremo spiritu, Latinam atque disertam illam ad Patres orationem haberet; illis verbis, *Bono estote animo fratres, potens est Deus è lapidibus istis suscitare filium Abrahæ*; Michaelem futurum Pontificem indicasse, tradit Caracciolus *in collect. histor. fol.* 108. & Castaldus *in Vita Pauli IV. cap.* 21. Is quippè fide, religione, atque animi magnitudine, vera fuit & eximia Abrahæ soboles, & Christianorum pijssimus Pater. Sed alia eius præsagia referamus.

Vrbem olim ingressus, cùm ex itinere lassus ac ieiunus sub noctem ad S. Sabinæ Ordinis sui Cœnobium mula vectus se contulisset; qui tum loco præerat, homo fortè paulò durioris ingenij, virum non agnoscens, ægrè hospitem excepit: ratus fortasse proprij commodi & ambitionis caussa eum aduenisse; *Quid tu*, inquit, *in Vrbe quæritas? num existimas te summum fore Pontificem? Scilicet isti* (Cardinales designans) *te sunt electuri*. Ad hęc vir Dei, se Christi causa venisse, eiusque honorem & gloriam auctam quęrere, pręterea nihil: sibi verò qualecunque breuis temporis hospitiolum, ac pro mula fœni modicum rogare. Iucundum sanè eius tùm patientiæ tùm modestiæ documentum, futurique Pontificatus haud inanis, licet ironiæ plena prædictio, hìc silentio non prætereunda. Item Franciscus

*Gabut. in Pio V. lib. 1. cap. 2.*

*Gabutius ibid. lib. 1. cap. 7. Beyerl. lit. P. fol. 537.* ſcus Gonzaga Cardinalis in Comitijs grauiter ægrotans; noctuque experrectus, creatum iri Pontificem Cardinalem Alexandrinum præſenſit. Eumque ſe vti Pontificem Max. libenter adorare profeſſus, ſub mortem, quam obijt pridie quàm fieret electio, familiares ſuos inclamauit, conquerens ea de re nihil ab illis ſibi renuntiatum. *Idem ibid.* Idem ferè paulò ante acciderat Geneſio Lucenſi Dominicani Cœnobij ad Mineruam Præfecto. Sed is prætereà viderat Pontificem ſibi citò ex oculis euaneſcere. Quod ille portendere interpretabatur, illius Pontificatum haud diuturnum fore. *Baccius in S. Phil. vita ad an. 1565. & Victorel. in Pio V.* S. Pihilippus Nerius eundem Cardinalem, diuinitùs admonitus, Romanum Pontificem euaſurum, oraculo docuit: idenque alij cognouerunt. Londini in Anglia ſuper eam Inſulam, tunc impiæ Eliſabethæ Reginæ Catholicos perſequentis tyrannide oppreſſam, crinitus Cometes per eos dies apparuit. Igneſque de Cœlo terribiles, ac ſanguinei coloris: immanis præterea magnitudinis manus diſtrictum intentans gladium, minarum ac dirarum indicium, & mox intorquendi ab hoc Pontifice in eam Reginam Apoſtolicæ Poteſtatis gladij, eam vti Hæreticam à fidelium communione præcidentis, & omni regnandi iure ſpoliatam declarantis, haud obſcurum Prodigium. Illud Boſchenſibus miraculo fuiſſe narrant. *Idē ibid. cap. 8. fol. 27.* Galliarum Regis tabellarius Pontificis creationem enuntiaturus Roma per diſpoſitos equos in Galliam properans, cùm ad Oppidum Boſchū perueniſſet, ignarus eam Pij Patriam eſſe, diuino potiùs quàm humano ductu, præter conſilium, ab ordinaria, qua extra loci muros rectà pertranſitur, declinans via, die Oppidum eſt ingreſſus, ac celeri curſu tranſire conanti, quo vehebatur, equus in medio foro præ ſummæ Parochiæ Templo, tam pertinaciter ſubſtitit, vt quibuſuis adhibitis ſtimulis progredi quaſi alter Balaam nullo modo poſſet. Accurrentibus auxilij cauſa multis, atque equum vndique nequicquam extimulantibus, ac demum vnde & quò pergeret,

geret, & quid noui esset percunctantibus, vbi Cardinalem Alexandrinum creatum esse Pontificem Max. seque ea de re literas ad Galliæ Regem afferre significauit, statim equus per se repetito cursu, cœptum iter insistere, subindeque re diuulgata, summis gaudijs exultare, omnes ad Templum confluere, immortales Deo gratias agere, atque alia multa publicæ lætitiæ signa edere cœperunt. Postera verò die ab ipsomet Pio certiores facti planiùs intellexere, admirabundique prædicauere, non sine Diuino Consilio cecidisse, vt tantæ lætitiæ nuntio, quasi è Cœlo misso, pridie mirè dignati fuissent. Ad hæc, cùm Pius esset Cardinalis, multis identidem stimulis, ad Christianam fidem amplectendam, Eliam Carcossium, & doctrina & diuitijs inter Hebræos facilè Principem, incitauerat; qui per id temporis Synagogæ Præpositus erat. Quod ille facere recusans, per iocum respondere solebat: *Tum Christi sacra suscipiã, cùm Frater Michael summum Pontificatum inierit*. Id porrò cùm euenisset, Eliasque de collata dignitate ad Pontificem gratulans adiuisset, eum denuò Pius est aggressus; in memoriamque illi reuocauit, quod esset pollicitus, se Baptismo expiatum iri, vbi ipse Pontifex Max. renuntiatus esset. En, inquit, sum Pontifex summus, Dei benignitate, quod fortassis tu nunquam futurum credidisti: præsta datam fidem. Simul Deum pro illo, vt ante, precatus, salutem eius piorum precibus commendandam curauit. Discessit Hebræus: sed paulò post Diuina gratia permotus ad Pontificem redijt, & velle se vnà cum tribus filijs ac Nepote fieri Christianum professus est. Hos Pontifex sua manu Baptismi aqua lustrauit; & vni ex filijs suum Michaelis nomen imposuit; mandauitque speciali cura eum educari; qui cùm adolescentiam attigisset, in Clericorum Regularium Ordinem ingressus adeò studijs incubuit, & vitæ integritatem excoluit, vt sacrarum literarum eximius interpres euaserit; & Romæ, cum magno omnium virtutum

odore, ingenti nominis fama, & omnium existimatione, decesserit.

Anno itaque salutis 1566. die 7. idus Ianuarij, Alexandro Farnesio, Borromæo, & Altempsio autoribus, nono & vigesimo interregni die, in perpetua illa sua animi æquitate ac moderatione conquiescentem, nihilque tale cogitantem, præter omnium expectationem, de repentè diuinitùs conflato Patrum consensu, cùm priuatim singuli reiecturi viderentur, communiter vniuersi Cardinalem Alexandrinum Pontificem Max. declararunt. Qui cùm Paulum IV. eximiè coleret, Pauli nomen assumere cupiebat: sed rogatus à S. Carolo Borromæo, ad Pij IV. memoriam renouandam, Pius V. est appellatus. Carafas à Pio IV. damnatos ad honorum & dignitatum iura admittendos, examinata rursus eorum causa diligentissimè, iudicauit. Vtque se Pauli IV. memoriæ gratum & studiosum ostenderet, monumentum marmoreum ad Mineruæ templum construxit, sex millibus aureis insumptis; & hoc illi insculpi iussit elogium.

*Panuin.*

*IESV CHRISTO, Spei & Vitæ fidelium.*

*PAVLO IV. CARAFAE PONT. MAXIMO, ELOQVENTIA, DOCTRINA, SAPIENTIA SINGVLARI, INNOCENTIA, LIBERALITATE, ANIMI MAGNITVDINE PRAESTANTI, SCELERVM VINDICI INTEGERRIMO, CATHOLICAE FIDEI ACERRIMO PROPVGNATORI, PIVS QVINCTVS PONT. MAX. GRATI ET PII ANIMI MONVMENTVM POSVIT.*

*VIXIT ANN. LXXXIII. MEN. I. DIES XXI. OBIIT CIↃ.D.LIX.XV. KAL. SEPTEMB. PONT. SVI ANNO V.*

Deindè iussit, vt Pauli cineres è Vaticano Templo ad B. Mariæ super Mineruam, deducentibus omnium penè Ordinum hominibus, honorificentissimè transferrentur. Et illa profectò luce, inquit Caracciolus, vidit Roma triumphantem de impietate Religionem, de sceleribus Virtutem, de

*Caracc. in coll. hist. epist. ad lect.*

de calumnijs Veritatem. Non prosequar, inquit, qui ornatus, quæ pompa; quàm augusta thensarum facies, quæ bonorum omnium exultatio, qui improborum mussantium mœror extiterit ea die. Illud vnum sat fuerit dixisse, quanquam insignis eius Templi fornices, parietes, columnæ, omnia plena fuerint elogijs, inscriptionibus, epigrammatis, quæ magno bonorum plausu Pauli virtutes, gesta, & in Christianam Rempub. merita celebrabant, tamen quia magnum est laudari à magno Viro; præstare equidem præconijs omnibus censeo præclarã illam Pij V. Laudationẽ, quã dixi, & discolori marmori incisam extare æternùm voluit. Reditum etiam assignauit, vt per singulos annos à Cardinalibus alijsque administris sanctæ Inquisitionis, veluti eiusdem Romanæ Inquisitionis Authori, solennes Pontifici Paulo exequiæ soluerentur. Eundenque in Beatorum album adscribere cogitabat. Neque enim aliter Paulum vocare solitus erat quàm sanctum Patrem. Solebatque hæc sæpe sæpius vsurpare: *Sanctus Pater id faciebat*: *Sanctus Pater id nobis dixerat*: *Sanctus Pater id constituere meditabatur*. Neque alijs vestibus, præsertim diebus solennioribus, nisi quæ Paulus induerat, vti voluit; quasi verè Pauli animum induisset. Ecclesiæ quatuor Doctoribus sanctum Thomam Aquinatem quintum annumerauit. Euulgauit Romanum Breuiarium ac Missalẽ librum iuxta Concilij Tridentini decretum, vt Paulus IV. Pontifex emendauerat. Inter alios Paulum Aretium è Clericorum Regularium Ordine Cardinalem creauit, & Ioannem Bernardinum Scotum, quem Paulus IV. Cardinalem creauerat, summum Inquisitorem renuntiauit. Renouauit Innocentij Tertij Pontificis legem, vt Medici ægrotos, post diem tertium, non inuiserent, nisi Christiano more conscientiam expiassent. Clericorum luxum cultumque minùs honestum castigauit; sanxitque ne in Aula Romana imberbes iuuenes alerentur. Meretriciam licentiam seue-

*Grauina in Voce Turt. p. 2. cap. 29*
*Castaldus in Paulo IV. cap. vlt.*

rè coercuit. Cui legi cùm Triumuiri Vrbis Conseruatores obsisterent; clausit os illis B. Pontifex, inquiens: Romani Senatus erit meretriculas tueri, & impudicitiæ fauere? Nisi illæ Roma discedant, nos cum vniuersa Curia discedemus. Iamque plurimæ discesserunt: sed nonnullis ad peiora mala vitanda permissum vt remanerent: quas tamen ille, in ignobilem Vrbis angulum seiunctum, conclusumque, reiecit. Solimano, ac deindè Selino eius filio, Turcarum Imperatoribus Cyprum expugnare tentantibus, à Selino dein occupatam, cum Hispaniæ Rege, Venetoque Senatu, fœdus iniuit: quo promulgato anno 1571. summo pugnæ Naualis Duce Ioanne de Austria, Philippi II. fratre delecto, Pontificiæ Classi à B. Pio M. Antonius Columna præfectus fuit. Et Pontifex hanc naualem expeditionem, solemni ritu nauibus militibusque lustratis, benedictionibus sacris est prosecutus; ac pecuniam singulis distribuens, eosdem his verbis alacriter hortabatur: Ite victoriam relaturi, si spem in Christo habueritis. Nonis itaque Octobris eiusdem anni, commissis meridie vtrinque viribus, per horas quatuor, ad Naupactum pugnatum fuit: & fauentibus superis cessit victoria Christianis; quam Pius, hora qua accidit, Deo indicante, cognouit. In quo Prælio, triginta ferè Turcarum millia, duces illustriores, omnesque trierarchi vel interfecti, vel in seruitutem redacti, paucis exceptis, qui sibi fuga consuluerunt. Sed ex nostris ad decem millia occubuere. Demum Pius, post multa alia præclarè gesta, dolore renum & calculi molestia oppressus, decubuit: ac morbo afflictatus dicere patienter solebat: *Domine, adde ad dolorem, dummodò addas ad patientiam*. Mœroreque omnium incredibili, Kal. Maij hora 22. anno 1572. ætatis suæ 68. & Pontificatus 7. planè omnium virtutum exemplar, viuis excessit. Qui in Vaticano sepultus prope Aram S. Andreæ, postea à Sixto V. ad sacram Ædem S. Mariæ Maioris in sacellum ad Præsepe con-

constructum translatus fuit. B.Pium Malachias *Angelum Nemorosum* fore prædixerat; vt Michaelis nomen, & Boschum eius Patriam indicaret.

## GREGORIVS XIII. PONT. CCXXX. Anno D. MDLXXII.

Hugo Boncompagnus, Patria Bononiensis, Christophoro Boncompagno, & Angela Marescalca, nobilibus Parentibus, anno Christi 1502. die 7. nonas Ianuarij natus, honestisque moribus institutus, Iurisprudentiæ peritia clarus fuit. Sed Romam veniens Capitolij Iudex, Scriptor Apostolicus, maioris Parci Abbreuiator, forensibus & gratiæ libellis referendis præfectus; à Paulo III. ad Concilium Tridentinum missus, Cameræ Apostolicæ Auditoris locum tenens, Secretarius Apostolicus, Campaniæ Prolegatus, sub Paulo IV. Alfonsi Carafæ Cardinalis, cui Regentatus Cameræ Apostolicæ ab eodem Pontifice nouo more delatus fuerat, Vicesgerens, eumdem Cardinalem in Flandriam ad Philippum II. Legatum comitatus, deinde Episcopus Vestanus, ac mox sub Pio IV. iterum ad Concilium missus, reuersus in Vrbem purpura ab eodem Pontifice ornatus fuit. Mox in Hispaniam pro Carranzæ Archiepiscopi Toletani causa legatus, ac post Legationem Bononiam abijt. Vnde cùm redijsset, Pio V. mortuo, altera die post Conclauis ingressum, quæ fuit 3. Idus Martij anno 1572. Cardinalium 52. accessu, magna omnium lætitia, & ingenti suarum virtutum expectatione, creatus est Pontifex. Ipse verò cùm ante creationem in Sacellum deduceretur; *Eamus*, inquit, *in nomine Domini*. Et deductum venerati sunt omnes. Illi olim Pileum Purpureum Pius IV. imponens ait: *Hic est, in quo non inuentus dolus*. Prudentissimus Rex Philippus cùm eius aliquando dicendi copiam & libertatem audiret, eum magni fecit, suisque dixisse fertur: *Fælix Dei Ecclesia esset, si hunc aliquando Pontificẽ Romanum*

*Auctor vitæ Gregor. 13. M.S. Bernard. Burgar. in Greg. 13.*

*manum haberet*. Præterea Christophorus eius Pater cùm ampliorem domum excitasset in Vrbe, quàm priuato homini conueniret; *Hoc Palatium*, inquit, *habitabit filius meus, futurus, vt spero, S.R E. Cardinalis*. Ipseque Hugo, Iubilei anno 1550. cùm Portam sanctam, vt vocant, Iulius III. solitis cæremonijs aperiret; nonnulli subridens, ait: *Quod hodie gerit Iulius, à nobis aliquando præstandum erit*. Vereque ipse egregiè præstitit anno millesimo quingentesimo septuagesimo quinto: cùm ne quicquam ciuium, seu aduenarum commoditati deesset, summa diligentia curauit. Cùm verò B. Pio mortuo, in Conclaue Patres ingrederentur, S. Philippus Nerius interrogatus, quis nam futurus esset Pontifex summus? ipse sciscitans inquit: Quem nam Romæ euasurum esse omnium Antistitem opinantur? Responderunt, Cardinalem Moronum. Tunc Philippus nihil hæsitans ait: *Non Moronus, sed Cardinalis Boncompagnus Pontifex erit*.

*Idē ibid.*

*Baccius in Vita S.Ph.lib. 3. cap.3. n. 27.*

Ipsa igitur Pentecostes festiuitate, Gregorius supra gradus Basilicæ Vaticanæ, Cardinalibus, Clero, & populo præsentibus, coronatus, pecunias, quæ in Pontificia coronatione adstanti plebi spargi consueuerant, pijs locis dari præcepit. Tria & viginti Collegia in diuersis Orbis partibus extruxit. Misit etiam quoquouersum in Indias, in Angliam, Constantinopolim, Alexandriam Ægypti, Syriam, Palæstinam, Babyloniam operarios, qui diuino verbo, ipso sanguine, ac pijs muneribus, ad fidem atque ad pietatem allicerent: vt verò non tam se superstite, quàm viuis abeunte res tantæ consisterent, Seminaria alumnorum liberalissimè instituit. Itaque à Germanico orsus, quod centum alumnis alendis in Vrbe condidit, deindè aliud ibidem Anglicum, Græcum, Maronitarum, qui è Monte Libano deuehuntur, Neophytorum item, & Hungarorum instituit, & perpetuis reditibus dotauit, atque firmauit. Inde quando ex antiqua stirpe Germaniæ sui Progenitores descen-

*Beyerl. lit.S.fol. 120.*

descenderant, has cogitationes etiam ad Germanica Seminaria fundanda conuertit: vnde in Boëmia, in Morauia, in Prussia, in Lituania, sed & Fuldæ in ipso Germaniæ centro, quæ adhuc stant, cum & Transyluania, in Belgio, & in Gallia alia, quin etiam in ipsis Iaponicis regnis nonnulla poni iussit, quibus reditus ex Europa attribuit. Magno item ære Maximilianum Imperatorem, Hispaniæ & Galliæ Reges, qui aduersus Hæreticos præliabantur, adiuuit. Romæ quamplurima ædificia erexit. Gregorius verò voluit dici: quia S. Gregorium Patronum, à prima ætate, sibi adoptauerat: & die illi sacro, Vaticano Senatui adscriptus fuerat. Sacellum Gregorianum ipse perfecit; in quod sacratissimæ Virgini & S. Gregorio Nazianzeno dicatum, eiusdem Viri sancti Ossa solenni supplicatione pompaque transtulit. Anno 1581. Magnum Rhodiæ Militiæ Magistrum, quem Melitenses Equites Magisterio priuare contendebant, Romam Gregorius accersiuit: quo paulò post in Vrbe mortuo, protinùs quatuor ex illo Ordine viros rebus gestis & vitæ integritate conspicuos Gregorius Equitibus nominauit, ex quibus illi Hugonem Auerdalam, magnum totius Ordinis Magistrum, omni dissidio consopito, renuntiarunt. Eodemque anno ad hunc Pontificem adijt lectissima Virgo D. Vrsula Benincasa, Neapoli celeberrima; quæ cùm eundem alloqueretur, vehementissimo ter excessu correpta fuit. Eamque Gregorius S. Philippo Nerio multisque alijs Patribus discutiendam commisit. Cumque omnes, ac ipse præsertim S. Philippus, post multa & grauia experimenta, eius tandem spiritum approbassent, Roma dimissa est, & ad suum Neapolim Templum & Asceterium redijt: vbi Theatinas primùm Virgines, mox Theatinas Eremicolas Sāctimoniales immaculatæ Cōceptionis instituēdas mādauit. Pauli IV. etiam Gregorius studiosissimus fuit, ac eius pluries memoriā cū laudibus ingerebat: atque B. Piū Pontificem imitatus, Pauli etiam vestibus vtebatur.

*Baccius in Vita S. Philippi lib. 3. cap. 9. n. 19.*

tur.

tur. Is enim, quippè qui intimus Paulo IV. fuerat, eiusque animi magnitudinem, moresque inculpatos, ac præclaras præstantissimæ mentis curas introspexerat; ita affici erga illa summi Præsulis ornamenta virtutum contigit, vt insigni quodam animi cultu veneratus postea fuerit Pauli memoriam, & quæcunque illum exuuiæ, aut monumenta repræsentarent. Quapropter cùm quædam eius caligæ, vsu illæ quidem detritæ, ad ipsum peruenissent, tanti eas fecisse visus est magnus Pontifex; vt cùm reliquis anni diebus decentissimè seruatas vellet, ijs vti nonnisi præcipuis Domini Diuorumque celebritatibus in more haberet: ratus non minùs ijs caligis, quibus pretium Paulus fecerat, quàm attalica quauis chlamyde, intextoque auro coli dies maximè festos: imitatus præterea magni Antonij exemplum ac morem, qui Pauli Eremitarum Principis tunicam, rudi illam palma intextam, sed tyrio quouis vellere longè pretiosiorem, gestare diebus solennibus Paschæ & Pentecostes gaudebat. Sed demum anno 1585. fer. 4. die 10. April. hora fermè 19. Romæ in Palatio Vaticano, anno ætatis 84. & Pontif. 12. mense 10. die 28. è vita migrauit. Fama est, integrum vitæ, & laudabili exemplo clarum Franciscani Ordinis virum in Aracælano Monasterio decumbentem, & cum morte luctantem, eo momento, quo Gregorius migrabat è vita, amissa penè sentiendi & loquendi vi, repentè quasi è graui somno excitatum, manibus oculisque erectis in Cælum, lætitia gestientem dixisse astantibus: *Aspicite, aspicite Gregorij animam, Angelorum ministerio ad Beatorum sedes euolantem! ò felicem Animam!* Obstupuere qui aderant religiosi instituti professores, vix scientes Pōtificem ægrotare: at ille eadem lætissimo vultu & vocibus iterans, mortalium ærumnas deseruit. Hæc Victorellus *ex lib. 14. Annal. Greg. in fine*. Silos verò *par. 1. hist. lib. 15. fol. 639.* narrat quòd paulò ante quàm noster Thomas Goldueilus, Romanæ Vrbis Vicarius, cuius sanctitatem

*Silos p. 1. lib. 12. fol. 402.*

Cæsar

Cæsar Cardinalis Baronius, ac quamplurimi celebrant; animam efflaret, diuino quodam spiritu afflatus, disertè pronuntiauerit fore, vt Gregorius Pontifex intra paucos dies è viuis excederet: quod eo prædixit tempore, cùm ita valebat Pontifex, vt proximo die Lunæ Patrum amplissimorum Senatum, quod Consistorium vocant, habuerit: sed insequenti Mercurij die, septimo videlicet à Golduelli obitu, posita mortalitate, prædictionem probauit. Gregorium S. Malachias *Medium corpus pilarũ* dixit; quòd dum Cardinalis esset, insignia gentilitia haberet; in quibus medius draco erat, gestans Pij IV. pilas, à quo creatus fuerat Cardinalis.

---

## SIXTVS V. PONT. CCXXXI.
## Anno D. MDLXXXV.

***Ex Ordine Minorum S. Francisci, Italus.***

Felix Perettus Cryptis ad litus superi maris in Piceno, anno 1521. die 13. Decembris natus, Peretti de Montealto, & Marianæ de Camerino filius, adhuc puer in Ordinem Minorum Conuentualium S. Francisci admissus, tantùm Philosophiæ & Theologiæ studio profecit, vt doctissimus & Verbi Dei Præco insignis euaserit. Narrant quòd ipse sibi olim ad Cellę ostium iuuenis hæc verba pręscripserat: *Fœlix si diu vixeris*. Tum quòd ad tres Gentilitij stemmatis montes addidit: *Fœlix, Fœlicior, Fœlicissimus*. In Firmi Cœnobio lauream Magisterij in sacra Theologia consecutus, in Vrbem veniens Congregationi S. Inquisitionis Consultor adhibitus, deindè Venetijs Inquisitoris munere perfunctus, cum Hugone Boncompagno in Hispaniam, pro Carranzæ Archiepiscopi Toletani causa, Legato, profectus, cùm Romam rediret, Romanoque in Gymnasio sacram Theologiam explicaret, à B. Pio V. Vicarius Generalis sui Ordinis constitutus, mox Episcopus Agathensis, ac Firmanus etiam Antistes, tandem in Cardinalium Col-

*Bernardin. Borgaruc. in Sixto V.*

*Narrat Victor. in Pio V. vocem quã eius parens audiuit: Accede ad vxorem Perette, concipiet illa filiũ, qui Rom. Ecclesiæ præerit.*

legium inter Presbyteros cooptatur. Illi olim ipse B. Pius cùm in ædibus SS. Apostolorum vnà simul de Pontificatus onere colloquerentur, dixit hæc verba: *Vos etiam hoc idem ipsum Onus experiemini*. Ipseque Felix Archidiacono olim Firmano dixisse fertur, se fore summum Pontificem: idque ita certo certius esse, perindè ac suum ipse sudariolum habebat in manu. Mox itaque Episcoporum Tridentinæ Synodi, Librorum prohibitorum Congregationibus præpositus, adeò magnum ingenij, eruditionis, prudentiæ, religionisque specimen præbuit, vt post Gregorij XIII. mortem, Cardinalibus 41. suffragantibus, anno 1585. die 12. Aprilis, hora 12. Imperatore Rodulpho II. Pontifex Max. legeretur. Postquàm renuntiatus est Pontifex, nonnemo illi Opusculum obtulit, in quo aliquot insigniora eius gesta referebantur: & initio scriptum erat, quòd eius Genitor aliquando vocem audiuerit, sibi præcipientem, vt cum Vxore coiret; futurum quippè quòd erat, vt filius ex eo concubitu nasceretur, Romanus Pontifex euasurus. Quod cùm Sixtus ipse legisset, calamum poposcit, & addidit, id pluries accidisse. Cæterùm Romanam Vrbem tot ædificijs, ac vijs ornauit, vt renouare non instaurare voluisse dicendus sit. Sacellum S. Mariæ ad Præsepe, cuius fundamenta Cardinalis iecerat, Pontifex creatus absoluit. Pauperibus alendis ac vestiendis Xenodochium Trinitatis dictum extruxit, ac censu ditauit: quatuor obeliscos erexit: columnam Traianam, & alteram Antonianam resarciri mandauit. Bibliothecam Pontificiam prope hortos Vaticanos amplo cubiculis & porticibus ædificio, libris per pluteos ex ordine dispositis, à fundamentis exædificauit. Scalas sanctas, vt vocant, ex abiecto ac penè collapso loco ad illustriorem accuratè & religiosè transtulit, & ornauit. Scitè de eo cecinit Augustinus Burgæus:

*Bernard. Burgar. in Sixto.*

*Vt Pater, vt Princeps, vt summus Xyste Sacerdos*
*Plebem alis, Vrbem ornas, iusque piumque colis.*

*Plebs*

*Plebs læta exultat, se se Vrbs miratur, & vni*
*Relligio obstrictam se videt esse tibi.*
*Vbertas frugum testis, Fontesque, Viæque,*
*Templa, Obeli, Cochlides, Signa, Sacella, Cruces.*

Anno 1586. 3. Non. Decemb. egregiam de Cardinalium creandorum præstantia, de numero, ordine, ætate, & qualitatibus, ac de sex Ecclesiarum ad Cardinales spectantium optione costitutionem condidit; qua omnes ad summum septuaginta esse, iussit: ex ijs Diaconos 14. cæteros (sex Episcopis exceptis) Presbyteros. Statuit autem neminem, qui 22. ætatis suæ annum non sit ingressus, Diaconum Cardinalem creari posse. Inter Cardinales 70. præter insignes I. V. vel Decretorum Doctores, quatuor saltem ex Regularibus, & Mendicantium Ordinibus præsertim, eximios in sacra Theologia Magistros deligendos, atque ex omnibus Christianis Nationibus (vt Tridentina Synodus iubet) idoneos viros hac dignitate cohonestandos, diebus ieiuniorum Decembris, decreuit: eos autem virtutum omnium laude, præsertim Castimoniæ supra cæteros eminere debere, edixit. Ecclesiæ Doctoribus sanctum Bonauenturam adiunxit. Et tertiana tandem febri afflictatus, anno D. 1590. die 9. Augusti hora 23. & Pontificatus sui anno 5. mens. 4. die 3. in Quirinali viuis excessit. Vacauitque Sedes Apostolica dies 19. S. Malachiæ Vaticinium fuit, *Axis in mediatate signi*, quòd pro insigni axem in medio leonis haberet.

## VRBANVS VII. PONT. CCXXXII.
## Anno D. MDXC.

Ioannes Baptista Castanea anno Christi 1520. pridie Nonas Augusti, Patre Cosmo Castanea Genuensi, & Matre Constantia, quæ Iulij Riccij, & Martiæ Iacobatiæ filia fuit, Romæ in lucem editus sacro Cæsareoque Iuri Perusij & Patauij studuit, Bononiæque Doctoris lauream adeptus,

ptus, Auunculum suum Hieronymum Cardinalem Verallum Legatum de Latere in Galliam euntem sequutus est, signandis libellis ab eo præpositus. Indeque Romam rediens Signat. Iustitiæ Referendarius creatus, Archiepiscopus Rossanensis à Iulio Papa III. deligitur. Postea ab eodem Pontifice Fani, à Paulo IV. Perusij & Vmbriæ gubernationi præfectus, à Pio IV. Tridentinum ad Concilium missus: deinde in Hispaniam Sedis Apostolicæ Nuntius ibi septennium mansit. Venetiarum Nuntius à Gregorio XIII. factus, ac Coloniæ Legationis munere perfunctus, tandem 1583. pridie Idus Decemb. inter Presbyteros Cardinales tt. S. Marcelli relatus, biennio post Bononiæ Legationem exercuit. Sed post Sixti V. exequias, Conclaue 47. Cardinales ingressi post nonum diem, sabbato 17. Kal. Octobris hora 13. anno 1590. omnium eum suffragijs; vel vt ait Auctor appendicis ad Chron. Genebrardi, *diuinitùs pari consensu & vna voce*, Pontificem elegerunt. Additque Victorellus somnium quoddam habitum in Conclaui ante Vrbani huius electionem; citatque Augustinum Valerium Cardinalem Veronæ. Electus itaque Pontifex, dùm sacro habitu vestiretur, & ex tenuissimo lino stolam indueret; Quis, inquit, credidisset vnquam, vestem tam leuem tantum secum adferre ponderis? Curas & onera innuens Romani Pontificatus. Vrbanus tamen vocari voluit, quòd Vrbis vtilitati studeret, & vrbanitatem profiteretur. Hinc in omnes humanus omnibus præbere aures optabat. Sed & sanguine coniunctos, qui primo Pontificatus nuntio Romam illicò conuolarunt, discedere omnes ex Vrbe præcepit: hominesque seiunctos, virtutibus ornatos & aptos, quibus ad præcipua quædam munera tutò vti posset, studiosè quæsiuit: aiebat enim se ea coniunctis tradere nolle, vt ministros si deliquissent, liberiùs redarguere posset omnes, ac plectere. Vniuersumque æs alienum locorum piorum omnium Ecclesiasticæ ditionis, ære Pontificio dissolue-

*V. Petram.*

*V. Nomencl. Cardd.*

soluere constituerat; & pauperes Vrbis imminuto frumenti pretio, non sine graui ærarij Apostolici damno, recreare: Sixti V. ædificijs supremam manum imponi, & ijs illius insignia affigi iussit. Fabritium Verallum Nepotem non Cardinalem nec creauit Episcopum, sed Basilicæ Vaticanæ Canonicum; & ad Canonici munus religiosè diligenterque obeundum graui sermone excitauit. Tum modestiæ amantissimus Cubicularios suos sericis vestibus vti vetuerat. Sed breui populi Romani lætitiam Vrbanus morbo conflictatus in mœrorem conuertit. Nam vehementi maligni morbi vi superatus intra duodecimum à sua electione diem, qui fuit 5. Kal. Octobris, antequam Pontificijs insignibus coronaretur, omnibus Sacramentis maxima cum pietate susceptis, vt sanctè vixerat, sanctissimè obijt; & cuius vita exemplo floruerat, ita & mors admiratione non caruit. Quoniam, vt alia prætercam, cùm primùm Vrbanus purissimam animam efflauit, magnus garrientium arundinum numerus protinùs aduentauit, & Pontificij cubiculi tecto fenestrisque consedit: tantaque adstantium aures vocum contentione & suauitate demulsit, vt res illa tam alieno tempore ostento similis omnes ad summam admirationem adduxerit. Vacauit sedes menses 2. dies 8. S. Malachiæ Vaticinium erat, *De Rore Cæli*, quòd Archiepiscopus esset Rossanensis, vbi legitur in Calabria manna.

## GREGORIVS XIV. PONT. CCXXXIII.
## Anno D. MDXC.

Nicolaus Sfondratus Italus Mediolanensis Anno 1535. die 3. Idus Februarij immaturo partu septimo scilicet mense natus, Patrem habuit Franciscum Sfondratum, quem sanguine & iuris scientia nobilem, vxore Anna Vicecomite mortua, Paulus III. anno 1544. in Cardinalium Senatum adlegit. Nicolaus ergo cùm leges Perusij ac Patauij didicisset anno 1560. à Pio IV. Episcopus Cremonensis pronun-

nun-

nuntiatus Tridentinum ad Concilium mittitur; & à Gregorio XIII. anno 1583. pridie Idus Decemb. inter Presbyteros Cardinales ascitus, Sixto V. Pont. Taurinum abijt, vt Pontificis nomine Carolum Emmanuelem Sabaudiæ Ducis filium Primogenitum sacro fonte lustraret: vnde rediens sacrorum Congregationi Rituum intererat. Romæ ergo agens Nicolaus Philippum Nereum sanctimonia celebrem vnicè diligebat, qui disertè illi Pontificatum prædixit; iussitque aliquando Petro Paolo Crescentio (quem postea Paulus V. Cardinalem creauit, Iacobo eius fratri, & Marcello Vitelleschio, vt Nicolai pedes oscularentur: quòd diuinitùs agnouerat, eximium Cardinalem in Diui Petri solio aliquando sessurum. Post Vrbani quippè VII. obitum, cùm eius modestia, doctrina, & vitæ innocentia Patribus omnibus probaretur, post multas tamen Comitiorum fluctuationes, quibus Cardinalium animi mensem vnum & dies 19. in Conclaui distrahebantur, communi tandem consensu die 5. Decembris hora 17. Summus Pontifex Rodulpho II. Imperatore deligitur, & die Conceptæ Deiparæ coronatur. Nec nostræ Congregationi quidpiam accidere gratius vnquam poterat, quàm supremam infulam capessiuisse Gregorium, qui olim Cremonã nostros homines euocauerat, attributo contubernio & templo, non sine quotidianæ munificentiæ additamento: laudauitque ipsemet aliquando pro suggestu Theatini Ordinis institutum, vt populorum beneuolentiam concitaret. Et vt olim in suæ Ecclesiæ curis administrandis, instituendisque ciuium moribus, non aliorum frequentiùs consilio ac opera quàm nostrorum hominum vtebatur; ita nunc Pontifex statim apud se Hieronymum Ferrum è nostris habere voluit; cuius tanti iudicium, prudentiam, probitatem, ac doctrinam fecerat, vt cùm abesse ab sua sede semel ac iterum contigisset, subire illum vices suas in ea temperanda iusserit; quod ille munus quinquennium tenuit, regebatque hoc

*Bacc. in Vita S. Ph. lib. 3.*

*Victorel. addit in Gregor. XIV.*

*Sil. p. 2. fol. 15.*

hoc ipso anno, quo renuntiatus Pontifex est Sfondratus: eodemque nunc Romæ grauioribus in negotijs vtebatur. Cardinalibus Regularibus, qui priùs nigris pileis caput operiebant, vsum rubri pilei concessit Gregorius. Sed sequenti mense die vigesimasecunda alui fluxu & calculo laborare grauiùs cœpit. Et cùm Cardinales hortatus esset ad optimum Pontificem deligendum, raro patientiæ & sanctitatis exemplo, idibus Octobris hora inter septimam & octauam in Palatio S. Marci, sacramentis Ecclesiæ susceptis, piè religiosèque decessit, cùm Romanæ Ecclesiæ menses 10. & dies totidem præfuisset, excellenti morum honestate & Virginitatis laude conspicuus; qui temperantiam & frugalitatem colere, feria 6. ieiunare & 4. abstinere carnibus, Cælestium contemplationi vnius horæ spatio ad primam lucem vacare, & Sacerdotio initiatus sacrificium nunquam intermittere solitus fuit. S. Malachiæ Vaticinium erat, *Ex Antiquitate Vrbis*, quòd ex vtroque Parente antiquissimæ Familiæ esset, & antiquitatum Vrbis amans, & restaurator futurus.

## INNOCENTIVS IX. PONT. CCXXXIV.
## Anno D. MDXCI.

Antonius Facchinettus Italus Bononiensis Anno Christi 1519. die 13. Kalen. Augusti, Antonij Facchinetti à Nuce, & Franciscæ Titæ de Cinis filius in Bononiensi Gymnasio Cæsarei præsertim sacrique Iuris scientia clarus fuit; anno 1544. Doctoris ibidem Lauream assequutus, ab Alexandro Farnesio Cardinali Auinionem deindè mittitur, vt eius Archiepiscopi vices gereret: Parmamque non sine laude Iustitiæ atque prudentię gubernauit. Romam reuersus vtriusque signaturę libellos sub Paulo IV. retulit, & Episcopus à Pio IV. Ecclesiæ Neocastrensis lectus; Concilio Tridentino interfuit. Sed anno 1583. die 12. Decemb. Presbyter Card. Sanctorum quatuor Coronatorum pronun-

nuntiatus, in Pontificatu Gregorij XIV. totam signaturę molem, cui Pontifex, propter ęgritudinem, par esse non poterat, integrè prudenterque sustinuit. Quare cùm magno ciuilium rerum vsu, multiplici literarum doctrina, pristinaque incorruptę vitę laude commendaretur; post Gregorij XIV. obitum, die 3. Kal. Nouembris, tertio die ingressus Conclauis, & 14. vacantis sedis, à Cardinalibus 57. Rodulpho II. Imperatore Pontifex Max. est electus. Nec pręsagiū illi defuit. Nā Cardinalis cùm pręstādę olim obedientię causa de more ad nouum Pontificem accessisset, Pontificia Tiara ex Gregorij inflexo capite decidit, & suo inuersa capiti insedit. Idemque sumpsit aliquando vulgus auspicium, ex pileolo Gregorij lapso ad Io: Antonij futuri mox Pontificis pedes. Sed vix Reipub. gubernacula tractare, minuere vectigalia, subleuare plebem incœperat, cùm febris ac fluxus afflictatione confectus, die 30. Decembris fer. 2. duabus horis ante solis ortum, Romæ Vaticano in Palatio, Ecclypsim patiente luna mortem oppetijt, postquàm menses duos sedisset in cathedra S. Petri. S. Malachię Vaticinium fuit, *Pia Ciuitas in bello*; quod tametsi plurimi non intelligant, disertè D. Ioannes Germanus illud exponit *lib. cit. num.* 1050. *& in addit. Apologet. nu.* 76.

## CLEMENS VIII. PONT. CCXXXV.
## Anno D. MDXCII.

Hippolytus Aldobrandinus Florentia oriundus à Lesa Detta Matrona pijssima Fani in lucem editus fuit: dum illic genitor eius Siluester, Pontificio nomine, præsideret. Cùm verò puer Romam deductus esset, & à Patre ad Pauli IV. pedes adductus, primam de suo Pontificatu prædictionem audiuit. Illi enim Paulus IV. dixit hæc verba: *Incumbe in studia fili, vt possis aliquando Christianam Rempublicam gubernare*. Sic Caracciolus *in vita Pauli IV. lib.* 5. *cap.* 9. Castaldus 16. *cap.* 22. Bernardinus Borgarucius *in Clem.*

*VIII.*

*VIII.* & Iosephus Silos *par. 2. lib.* 1. vbi tamen clariùs ait: *Cùm à Siluestro Aldobrandino ad Paulum Pontificem, apud quem is gratia atque existimatione valebat plurimùm, officij gratia ductus esset Hippolytus adhuc adolescens; Pontifex non perfunctoriè quidem, sed faustis quibusdam officijs ephebulum commendauit: ac siue à præclara eius specie grandia diuinaret, quippè qui spectare à vultu, acerrimo planè iudicio, virtutem ac indolem solitus erat; siue superiore quodam lumine afflatus; Cura, inquit Patri, vt strenuam filius hic tuus literis operam nauet: futurum quippè est, vt aliquando Pontificatum ac sedem hanc impleat.* Hactenùs Silos. Cùm verò Rotæ Auditor esset, & sacris operaretur; vir quidam externæ Nationis illum intuitus; *Erit*, inquit, *Maximus in Ecclesia Dei.* Supplicibus referendis libellis ergo præfectus, dum eo munere summa cum laude iustitiæ ac prudentiæ fungeretur, à Sixto V. Pontifice inter Cardinales tit. S. Pancratij adscriptus fuit. S. Philippus Nerius eius virtutes agnouit, ac Pontificatum prædixit, ex Victorello, tum nomen quod sibi imponeret indicauit. Nec fefellit euentus. Nam Legatione in Poloniam fœliciter gesta, & post alia Reipublicæ munera, mortuo Innocentio Papa IX. Romæ, cùm Cardinales 57. Comitijs interessent, triginta quinque Cardinalem S. Seuerinæ probitate & doctrina illustrem, ad sacellum Pauli, die Ianuarij X. aperto vt aiunt scrutinio deduxerunt, in Apostolica Romana Sede collocaturi. Sed Deus, cuius sunt iudicia incognita & nobis incomprehensa, Hippolytum Card. Aldobrandinum sanctæ Ecclesiæ regimini destinauerat; qui consentientibus omnium Cardinalium suffragijs die 3. Kal. Februarij anno 1592. Pontifex Max. est electus: dieque Dominico Purificatæ Virginis festo, Episcopali consecratione initiatus, post dies octo Coronationis insignia priuatim accepit. Deindè ad Gallici Regni salutem procurandam intendit animum. Dominicani Ordinis fratribus in actibus supplica-

tionibusque priuatis ac publicis digniorem locum post Canonicos, Clericos, & priscos Monachorum Ordines deberi declarauit. Monachos S. Basilij ad vnam Congregationem redegit. Romæ autem instituit, vt 40. horarum oratio in Templis ita distribueretur, vt diu noctuque toto anni curriculo precum incensum in Dei O. M. conspectu dirigeretur. Leges Iudæis datas à Paulo IV. & à B. Pio V. firmauit: eosque ab vniuersæ Ecclesiæ Romanæ ditione submouit. Adolescentes Seminariorum Apostolicæ Sedis alumnos, flagrantissimis literis ad studia & pietatem incendit. Congregationem fratrum Excalceatorum Carmelitarum à Fratribus Mitigatis secreuit. Cùm Alfonsus Estensis Ferrariensium Dux absque liberis obijsset, Clemens Ferrariam ad Ecclesiæ ius spectantem recuperauit. Qua de re *epist. to. 8. annal. præfixa* Cardinalis Baronius ea scripsit: *Accidit miraculum à Deo, vt Ferraria, ferrea planè Ciuitas, sine ferro fuerit expugnata, ipso totum id agente qui dixit: Ego ante te ibo.* Die Corporis Christi festo, sacratissimum Corpus, multis cum lacrymis, in supplicatione detulit: & pridie illius diei, pace inter Galliarum & Hispaniarum Reges composita, rem Diuinam coram se & Cardinalibus, ad gratias Deo agendas, solenni ritu faciendam curauerat. Anno 1594. à Magno Moscorum Duce Borisso literas ita subscriptas accepit: *Clementi VIII. Summo Pontifici, Pastori & Magistro Romanæ Ecclesiæ*: quibus pacem exoptat inter Principes Christianos, vt inito fœdere Turcas opprimant. Eodemque Anno, ab Ecclesia Alexandrina, Ægyptoque vniuersa, duos Monachos Macarianos item Legatos accepit, vt scribit Baronius *to. 6.* Anno 1595. die Iunij 12. Archiepiscopus Michael Metropolita Kiouiensis, Hulicensis, & totius Russiæ, & Episcopi septem Ruthenorum Græcum ritum sectantes, concordiæ cum Latina Ecclesia Apostolica Romana cupidissimi, ex Poloniæ Regno, & magno Lituaniæ Ducatu, significarunt

se,

se, conscio & libente Sigismundo Poloniæ & Suetiæ Rege, Magnoque Lituaniæ Duce, ad eam concordiam & coniunctionem accedere, quæ floruit olim inter Orientalem & Occidentalem Ecclesiam; quæque Isidoro Ruthenorum, & Bessarione Nicæno Archiepiscopis iuuantibus, in Florentina Synodo renouata & constituta iam fuerant. Delecti ex ijs Oratores, & ad Obedientiam Clementi præstandam missi, Nouembri mense Romam venerunt; quos Clemens benignissimè excepit, munificentissimeque aluit, & omnibus quæ opus erant instruxit. Anno 1599. 14. Kal. Iunij, anno seculari 1600. aduentante, insignem Iubilei celebritatem indixit. Anno 1601. B. Raymundum Barcinonensem Dominicani Ordinis virum, virtutibus signisque clarissimum, cooptauit in Cælites. Puellarum Monasterij S. Catharinæ della Rosa bono consuluit. Vniuersitatem studij Ferrariensis priuilegijs auxit. Sodalitatem nominis Iesu in Prouincijs Regni Perù institutam sua authoritate firmauit. Militiam SS. Mauritij & Lazari exornauit etiam Priuilegijs: & Carolum Emmanuelem Sabaudiæ Ducem, Magnum eius Magistrum laudibus extulit. Formam item præscripsit, qua Religiosorum Ordinum viri, & seculares Congregationes, in erigendis instituendisque sodalitatibus vterentur. Decreta verò ad cuiusuis Ordinis Regulares reformandos edidit, P. D. Marci Palescandali Clerici Regularis præsertim opera vsus. Disputationes de auxilijs inter Dominicani Ordinis & Societatis Patres coram se haberi voluit. Singulis annis, sancta hebdomada, confitentibus aures dabat. Quamplurimis Dominici Corporis sacramentum præbuit: Principes matrimonij nexu coniunxit: nonnullos moribundos inuisit. Cœnobia visitatione obibat: religiosis eorum incolis ad sectanda Fundatorum vestigia calcaria addebat. Eremum seruorum B. Virginis in Monte Senario renouauit. Sed demum in grauem morbum cùm incidisset, se Conditori suo totum tradidit, & sa-

cris omnibus expiatus ac communitus, die 3. Martij anno salutis 1605. ætatis 69. seu 70. imperio non tam diuturno quàm gloriosè gesto, viuis excessit. Vacauitque sedes dies 29. S. Malachiæ Vaticinium erat, *Crux Romulea;* quod ad eius insigne, vbi trabs argentea tribus segmentis interstincta, ad modum Crucis Romani Pontificis, alludebat.

# SECVLVM XVII.

NOuem vsque adhuc Pontifices, extremo hoc seculo percensentur, pietate, eruditione, ac prudentia non ignobiles: quorum postremum, quammaximis virtutibus exornatum, ac vitæ etiam sanctitate conspicuum, Diuinum Numen omnium beneficio indulsit, vt Rempublicam Christianam à tot vbique malis ingruentibus subleuaret. Hìc verò Lectores meos opportunè ac seriò admonendos existimo, inter quamplura Romanorum Antistitum Vaticinia & Præsagia, quæ narramus, multa inferorum spectra & præstigia, ob dæmonum inuidiam, accidisse: vt quandoque homines vana illa spe futuri Principatus illecti, & interim virtutibus eneruati, omnem ipsi operam darent, vt ad Infulas capessendas ascenderent, & ad primarias dignitates eueherentur: è qua spe demum in morte deiecti, vt bene merendi tempus amiserant, ita etiam desperatione adacti infœlici exitu vitam clauderent. Addamque hìc verbis exempla, quæ clarissimè rem ostendant, & probent. Noui enim religiosissimum ac doctissimum planè virum, ingenij etiam monumentis illustrem, qui magna olim virtutum fama Neapoli efflorescebat: quem quamplures alij viri Religiosi multorum Ordinum, sanctitatis fama conspicui, voce aut literis admonebant, vt certò sciret, Dei voluntatem esse quòd Pontifex Romanus

cua-

euaderet, & Christianam Rempublicam emendaret. Cumque, ne Deo aduersaretur, precibus multorum adactus esset, vt Episcopalem Dignitatem diù à se repudiatam admitteret, suam Diœcesim inuisit: & in asceterium Monialium causa visitationis ingressus, obuiam sibi Virginem habuit, candentes prunas manibus afferentem, in signum, quòd à Deo electus esset, vt Christianum Orbem administraret. Cùm verò in priuato quodam Sacello sacris semel operaretur, vir quidam Religiosus è Reformato quodam Ordine Neapoli celeberrimus, in sella sedens propter ægritudinem aderat; cui grauis veluti morum Magistri vox hæc ad aurem insonuit: *Coram futuro Christi Vicario in terris sedere audes?* Et confracta statim sella, magno cum fragore, Religiosus ille procubuit. Is mihi Præsul amicissimus erat: & cùm multa mihi ac varia eius generis enarrasset, quæ illi contingebant in dies; instantissimè à me rogauit, vt Theatinarum Virginum Collegio quadraginta Horarum Orationem indicerem: qua finita, lectissima quædam Virgo, quæ Venerabili M. Vrsulæ fuerat à secretis, in excessu mentis audiuit, Antistitem quem dixi, deceptum esse, & à malo dæmone illusum; vt probauit euentus. Alium deindè Episcopum noui, vitæ integritate ac sacrorum Canonum peritia insignem; qui secretò mihi ac confidentissimè dixit, se à Deo electum esse, vt Christiani Orbis fasces acciperet: & quòd id ex ipso ore cuiusdam sacræ imaginis Christi Domini pendentis è Cruce haud semel audiuerat. Sed bonus senex, dum ad Orbem renouandum leges & Diplomata moliretur, in sua deceptione vitam finiuit. Noui duos germanos fratres Religiosos, de quibus olim Eremita quidam prædixerat, alterum fore hominem sanctum, alterum Pontificem summum: quod tamen minimè est exitu comprobatũ. Scio viro cuidam insigni ab illustri Dei seruo prænuntiatum fuisse Pontificatum: & cùm editus fuisset in lucem, conflatum ante eius domum

agmen

agmen puerorum clamasse: *Hodie Pontifex natus est*. Ipse verò qua prudentia erat prædItus, ab omni dignitate semper abhorruit; & recusato pluries Episcopatu, cum magna sanctitatis opinione, decessit. Noui etiam Religiosum adolescentem, suum extra Ordinem, hodiè, ad quandam dignitatem euectum: qui cùm infans balbutiret, & non dum eloqui didicisset; in corona nobilium Matronarum, quæ parentem fortassis ægram inuiserant, vultu ac totius corporis gestu miro modo ad seueritatem composito, & expeditissimè de repentè loquens, cum omnium admiratione, & quodam etiam terrore, sic habuit: *Ne me puerum irrideatis, futurus sum enim Pontifex summus in Ecclesia Dei.* Quod tamen hodiè minimè perspicimus adimpleri. Alium etiam magna indole ac generis claritate olim iuuenem ornatissimum noui; cui Sacerdos quidam secularis, sanctitudinis fama celebris, qui multis miris ac prædictionibus editis è vita migrauit; futuram breui, vt ab eius Patruo didici, Cardinalitiam dignitatem pollicebatur, vt certò scio; & summum etiam, si non erro, Pontificatum: quod tamen vanum fuisse constat. Panormi adhuc insignis Dei seruus tanta omnium opinione efflorebat, vt simul cũ Venerabili Viro P.D.Carolo Thomaso ad eum inspiciendum & audiendum accesserim: qui statim vix à me interrogatus, multa Vaticinia effudit: & inter alia Cardinalem Montaltum fore breui Romanum Pontificem affirmabat. Tunc ego hominis imprudentiam demiratus, rogaui, quomodò id sciret aut didicisset? Respondit ille, se quendam in sincipite calorem sentire, per quem euentura denuntiabat. Constanterque illum admonui, vt certò sciret, à bono spiritu id proficisci nequaquam posse; quod palam exitus comprobauit. Romæque cùm versarer, quidam Eminentissimus Cardinalis mihi & P. D. Stephano Pepio sibi amicissimis explicauit, à quodam viro religioso, cuius fama Italiam vniuersam compleuerat, sibi denuntiatum fuisse,

se, breui fore vt Pontifex Romanus eligeretur. Quod cùm audirem, vt meo muneri non deessem, ipsum admonui, eas prædictiones vt omninò reijceret, ne à malo dæmone illuderetur; quod ille tam egregiè præstitit, vt breui morbo conflictatus sanctissimè animam exhalarit. Neapoli etiam notissimum fuit, quod cuidam ludimagistro accidit, probo quidem & docto viro: sed qui à diabolo illusus, dum discipulis suis humanioribus literis imbuendis incumberet, Cardinalitium pileum expectabat: & ob id vt pecunias sibi Romæ necessarias exaugeret, miseram & asperam vitam trahere videbatur: sed demum nocte quadam, clam fures domum ingressi, illi primùm vitam, & deindè pecunias abstulerunt. Quidam demum, vt finiam, magnis itineribus ex Hispania contendens in Italiam venit, à quamplurimis Dei seruis, sanctitatis fama, & Prophetiæ dono insignibus, vt aiebat, admonitus, ac plurimùm incitatus, vt sacro cuidam viro inseruiret; qui Romanus Pontifex euasurus nescio qua ipsum dignitate honestasset, in qua præclara facinora in Dei gloriam patrare debebat. Cùm verò illũ Antistitẽ adijsset, ac omnia quæ audierat ei Vaticinia denarrasset; eius facilè gratiam ac familiaritatem iniuit: & Sacerdoti cuidam intimè adhæsit; qui eadem multarum fatidicarum fœminarum oraculo omnia quotidie comprobabat. Itaque læti ambo ob futuri Pontificis volũtatem, dum vna in domo consisterent, ac mensa & suppellectili fruerentur, magno amicitiæ fœdere nexuque coniuncti, adeò sibi fausta omnia promittebant, vt etiam munia alijs quamplura pollicerentur. Interim tamen accidit, vt mihi omnia enuclearint: quibus statim auditis, horrui, ac studiosè conatus sum vtrique suadere & ostendere, quàm illa Vaticinia vana essent, & ab animarum hoste conficta, vt his ab eo miserè illuderentur. Sed in sua ipsi spe ac fiducia firmi adeò persistebant, vt meis monitis ac sermonibus oleum ac operam perderem. Breui tamen cùm in

solio S. Petri sanctissimum Innocentium audierunt; spe frustrati, ludibrioque ab alijs habiti, alter ab altero discessere. Qui verò venerat ex Hispania, & præfici militiæ Romanæ debebat, ab amico domo depulsus tanta egestate deprimebatur, vt consumptis vestibus miserè victum emendicaret. Constat igitur Ambrosium Catharinum *in Apologia pro reuelatione S. Catharinæ Senensis de renouatione Mundi*, verè scripsisse, hoc malorum dæmonum munus esse, & eos omni nixu curare, vt veraces Prophetiæ, & diuinitùs reuelationes acceptæ, magnis illusionibus inūbrentur. Vereque multis hodiè illud Ieremiæ quadrat ac dici posset: *Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent: viderunt autem tibi assumptiones falsas &c.* Quomodò autem illusiones hæ sint dæmonum abigendæ, legendus est præter multos alios Beyerlinckius *lit. T. fol.* 82. Nunc in lineam redeamus.

## IX. ROMANI PONTIFICES SECVLI XVII.

*I. Leo XI. Alexander Medices electus* 1. *April.* 1605. *abijt ad meliores post* 25. *dies in Pontif. die* 26. *April. Septuagesimum annum agens.*

*II. Paulus V. Camillus Burghesius electus* 16. *Maij an.* 1605. *obijt diem suum* 28. *Ianuarij* 1621. *anno ætatis suæ* 68. *Pontif.* 16.

*III. Gregorius XV. Alexāder Ludouisius, electus* 9. *Febr.* 1621. *vitam finiuit* 8. *Iulij* 1623. *anno ætatis suæ* 70. *Pontif.* 2.

*IV. Vrbanus VIII. Maphæus Barberinus, electus die* 6. *Augusti* 1623. *vitam amisit* 29. *Iulij an.* 1644. *ætatis suæ* 76. *Pontif.* 21.

*V. Innocentius X. Ioannes-Baptista Pamphilius, electus die* 15. *Septemb.* 1644. *demum occubuit die* 7. *Ianuarij* 1655. *octogenario maior Pontificatus sui anno decimo.*

*VI. Alexander VII. Fabius Chisius electus die* 7. *Aprilis* 1655. *animam expirauit die* 20. *Maij anno* 1667. *ætatis suæ* 69. *Pontificatus* 12.

*VII. Clemens IX. Iulius Rospigliosius, electus die 20. Iunij 1667. sanctissimè obijt die 9. Decembris 1669. ætatis suæ anno 70. Pontificatus verò 2.*

*VIII. Clemens X. AEmilius-Bonauentura Alterius, electus die 29. Aprilis 1670. excessit die 22. Iulij 1676. ætatis suæ 86. Pontif. 6.*

*IX. Innocentius XI. Benedictus Odescalchius, electus die 21. Septembris 1676. ætatis suæ anno circiter 66.*

## LEO XI. PONT. MAX. CCXXXVI.
### Anno Christi MDCV.

Alexander Medices Anno 1536. Non. Iunij Octauiano, & Lucretia Medice Leonis X. ac Clementis VII. Pontificum sororis filia genitus, pijsque moribus & virtutibus in ipso ætatis tyrocinio imbutus, sacris literis animum appellere cupiebat: quem cùm frater quidam Franciscus Medices, ex Ordine Patrum Prædicatorum, Diuini Numinis fulgore illustratus, attentiùs intuitus esset; Nutricem monuit, vt omni cum diligentia puerum educaret, quòd magnus euaderet in Ecclesia Dei. Sed vt Matri viduæ morem gereret; Aulam sobrini sui Cosmi Medices Ducis Florentiæ sectabatur, in cuius gratiam militiæ S. Stephani nomen dedit, & equitis insignibus est indutus. Matre verò mortua, Ecclesiasticæ vitæ rationem amplexus fuit: & Sacerdotio insignitus, cùm ruri delitesceret, à Cosmo eodem Orator ad Pium Pontificem missus, quindecim annos tanta cum laude eam Legationem obiuit, vt fuerit & Pio, & Gregorio, & vniuersæ Aulæ gratissimus. Quare Episcopus Pistoriensis, mox Florentinus Archiepiscopus, ac tandem Presbyter Cardinalis tt. S. Quirici & Iulitæ, eodem Hetruriæ adnitente Duce, creatur. Florentiam profectus, egregiè in eius Ecclesiæ administratione se gessit: inuisitque S. Magdalenam de Pazzis, quæ eius Pontificatum prædicens in excessu sic habuit: *Hic Christus magno nunc fulget honore,* *Vita S. Magd. par. 1. cap. 9.*

*re, sed ad supremum perueniet, tametsi non diu in illo consistet: quippè cùm illum amplecti volet, eius statim gloria euanescet*. A Clemente VIII. ad Henricum IV. Galliæ Regem anathemate expiatum Legatus de Latere missus fuit: beneque gesta Legatione, pace tandem inter potentissimos Hispaniæ & Galliæ Reges constabilita, Ferrariam, vbi erat Clemens, contendit: ibique à Cardinalibus ei obuiam prodeuntibus, & in publico Senatu ab ipso Pontifice honorificè exceptus, causis Episcoporum ac Regularium est præfectus. Clemente verò è viuis erepto, primo Aprilis die, Diui Francisci de Paula Mediceorum Patroni peruigilio, Anno 1605. Patres in Comitijs Cardinalem Florentiæ, quem integritas, & morum candor, & ardor fidei, & animi magnitudo ac munificentia, & oris grauitas, species, ac maiestas maximè commendabant, septuagesimum agentem annum, ad Apostolicæ Sedis apicem euexerunt; qui terrenis suis commodis non consulturum: successorem, dedita opera, non creaturum: sed eos Viros, qui Pontificatu digni essent, Vaticana Purpura exornaturum se dixit. Die ipso Dominicæ Resurrectionis in Xysto ante Vaticanam Basilicam, à Francisco Sfortia, faustis populi acclamationibus, coronam accepit: dieque octaua aperta lectica vectus, Lateranensem pompam, tanto lætantis populi plausu, quanto nullus alius inijt. Corporis viribus robustus erat Leo, & tamen cùm absoluta cæremonia ad Quirinalem se recepisset, lethali morbo vexari cœpit. Tunc Cardinales, Principum Legati, ac Proceres omnes, summis cum eo precibus egerunt, vt Pronepotem inter Purpuratos adscriberet. Quod tamen Leo constantissimè pernegauit, vni animæ saluti seriò vacans: quin Confessarium suum ad id hortantem expulit, & ad se ampliùs accedere vetuit: vt quem magis indulgere affectui coniunctorum, quàm animæ suæ saluti consulere cognouisset; delecto post hæc ad sacrum munus pœnitentiæ impendendum, Petro de

Matre

Matre Dei à Rocca Hispano Carmelita, sub cuius ministerio animam fœliciter Deo reddidit die 27. Aprilis. S.Philippus Nerius Romanam illius infulam, breuissimumque sacri Imperij tempus olim prædixerat. Nam vt Baccius in vita narrat *lib. 3. cap. 6.* & Victorellus in Gregorio XIII. illi magni Ducis Hetruriæ Oratori aliquãdo dixit quod futurum sciebat: *Domine Alexander, vos Cardinalis & summus Pontifex eritis, sed durabitis ad exiguum tempus.* Ideò fortassis à S.Malachia dictus *Vndosus Vir,* quod veluti vnda quãcitissimè laberetur, vel quòd Florẽtinus & paralysi obnoxius esset, vel quòd Pistoriæ fuisset Antistes, quas Vrbes non vnus aut fons aut fluuius alluit. Illud etiam mirum fuit, quòd antequâm Clemens Pontifex VIII. excederet; dum aliquando Cardinalis Alexander in suo museo versaretur; ingressa per viridarij ostium aquila se ad eius pedes dimisit: eadenque in domo per aliquot hebdomadas hæsit: in stabulo cum ceruo conflixit, & inter quædam rudera se recipiens, omninò disparuit. Vacauit autem Apostolica sedes dies 21.

## PAVLVS V. PONT. MAX. CCXXXVII.
### Anno Christi MDCV.

Camillus Burghesius natus est anno 1552. die Septembris 17. Patre M.Antonio Burghesio Patricio Senensi, cuius familiam eandem fuisse dicunt ac Benincasiam; Aduocatorum Consistorialium Principe, & magno dicto pauperum aduocato, cuius Patrem Aula vniuersa magni fecit, & Paulus IV. in rebus grauissimis sæpe consuluit: Matre verò Flaminia Astallia. Spectatæ indolis puer egregiè est educatus: ipsoque ætatis floræ Perusij Philosophiæ ac Iurisprudentiæ studijs operam dedit, magna semper modestia decoratus, & sanctissimæ Virginis Genitricis Dei cultor eximius. Anno 1574. die 20.Maij, ante Basilicam S.Petri, Abbreuiator Ecclesiasticus literas Gregorij XIII.

Iubileum indicentes alta voce legit. Mox Vtriusque Signaturæ Referendarius Basilicæ S. Petri Maioris Vicarij titulo præfuit. Anno 1588. Bononiam missus est, vt Alexandri Cardinalis Montalti Legati vice, Prolegati nomine, fungeretur; quam Ciuitatem biennio gubernauit. Horatio fratre Apostolicæ Cameræ Auditore, è cœtu mortalium euocato, eam prouinciam sibi à Gregorio XIV. demandatam, tanta cum laude administrauit ac rexit, vt etiam Legationem extraordinariam cum potestate Legati de Latere à Clemente VIII. delatam obierit, ad Philippum Secundum Regem Catholicum, qui eum magnifecit atque dilexit, ac fore aliquando summum Antistitem, diuinante prope animo, præsagiuit. Ex Hispania rediens ab eodem Clemente Purpura est honestatus: mox S. Eusebij, deindè SS. Ioannis & Pauli, & tandem S. Chrysogoni titulum suscepit. Post Cardinalis Rusticuccij mortem, ad Vicarij Vrbis munus obeundum assumptus fuit. Cumque anno 1600. vnus esset in ijs, quorum consilio Clemens in sanctæ Inquisitionis munere vtebatur, & vnà cum Cardinali Sfondrato esset à Pontifice designatus, qui curaret, vt variarum Nationum Hæretici ad bonam frugem adducerentur; quinquaginta ferè, eodem anno ac mense Iulio, varias Romę hęreses eiurarunt. Tantaque cum laude omnium emicare, Romæque agere videbatur, vt Ioannes Delphinus, Venetæ Reipublicæ in Romana Aula Legatus, in narratione ad Senatum Venetum, eum paucis extulerit, futurumque Romanum Pontificem indicauerit. Constantinopoli etiam Romam venit Galeottus Vffreduccius Fanensis, qui Camilli se seruitio addixit, quòd ab Arabe, cui Cardinalium ostenderat nomina & gentilitia insignia, didicisset, eum Romanum Pontificem euasurum. Nec præsagium defuit, omnium oculis aspectabile. Nam Leone XI. elato, cùm multi, vt accidit, de futuri Pontificis electione loquerentur, & hic vnum ille alium nominarent; Altempsij Ducis Aqui-

la,

la, ad Romanæ Arcis Draconem marmoreum, euolauit; illique insidens, Camilli Burghesij stemma composuit.

Itaque die Dominica Maij 8. Patres ad Comitia ingressi de multis euehendis Cardinalibus sermones habebant; cùm Cardinali Gioiosæ Saulium promouenti, scripto hoc Vaticinium datum fuit: *Aquila dominabitur, & Pontifex appellabitur Paulus*. Quod præter opinionem videre omnes exitu comprobatum. Nam quanuis alij Tuscum, Baronium, Bellarminum, Saulium, Camertem efferrent, nec de Burghesio cogitarent, quem Deus ante omne æuum sublimi muneri destinauerat; Gallicorum Cardinalium opera, Aldobrandini, & Montalti, delectus fuit: & in Pauli Sacellum repentè deductum Cardinales omnes diuino potiùs quàm humano suffragio Romanum Pontificem declararunt die Maij 16. hora noctis secunda anno 1605. ætatis 53. vel ex Cardinali Perronio 54. Quam electionem omnes obstupuerunt. Florens enim ætas humanam prudentiam retardare potuisset: at quia diuina spirabat aura, non potuit. Die igitur Pentecostes 29. Maij in Basilicam Vaticanam delatus humeris ad aram Apostolorum operaturus Pontificium Pallium à Francisco Card. Sfortia accepit. Deindè post sacrum super eiusdem Basilicæ gradus, eodem Cardinali Sfortia inaugurante, Tiara redimitus effulsit. Mox Iubileum, ad bene regendam Ecclesiam, diuinam opem petiturus, indixit. Vetus Vaticanum Templum solo æquare, nouum à fundamentis excitaturus decreuit. Christianos Principes ad arma contra Turcam hortatus est. 800.nummum aureorum millia in annonæ vbertatem effudit. Prælatorum & aliorum præstantium virorum cœtum, ad huiusmodi vbertatem in Ecclesiastica ditione retinendam instituit. Agriculturæ operam dantes priuilegijs muniuit: ad eam promouendam leges vtilissimas tulit: & horreis ab Gregorio XIII. erectis alia adiunxit. Romanæ Aulæ Tribunalia reformauit: ministrorumque stipendijs

metam

metam constituit. Excitatas inter Sabaudiæ & Mantuæ Duces discordiæ flammas sapientissimè extinxit. Christianorumque Principum animos in mutuæ beneuolentiæ nexu continere conabatur, vt iunctis viribus Turcarum impetus furentes infringerent. Romæ in Quirinali apud S. Susannam, in Cœnobio Excalceatorum Carmelitarum Seminarium instituit: in Gallia militarem Ordinem S. Mariæ de Monte Carmelo ab Henrico Magno Galliarum Nauarræque Rege reditibus ditatum, ad sanctam Romanam Ecclesiam efferendam, & hæreses profligandas fundauit. In Religiosorum Virorum Academijs præter linguam Latinam, Græcam etiam, Hebraicam, & Arabicam edoceri, iussit. Cœtum Sacerdotum Oratorij Iesu Christi ad Catholicam fidem in Gallijs restituendam atque augendam firmauit. Ad Indos, ad Persas, ad Regnum Conganum, & ad barbaras alias regiones, Euangelicæ doctrinæ Magistros allegauit. Paulum IV. in multis imitari solitus rem diuinam quotidie faciebat. Eo Pontifice, Neapoli, sororis Iuliæ hypocrisis detecta fuit, à P.D. Benedicto Mandina; qui, vt facinus constanter adoriretur & agerer, Paulum Quartum Romanæ Inquisitionis Autorem, in cuius fronte sydus fulgidissimum emicabat, per visum sibi obiectum esse testatus est: & à P.D. Andrea Castaldo; cui idem Paulus V. Pontifex ait: Hęc sancta Sedes Apostolica vobis, vestroque Theatinorum Ordini, semper haud parum obstricta erit; tum ob Pauli IV. merita & in Christianam Rempublicam benefacta: tum quòd vestra virtute fide ac labore, Neapoli, hanc hydram eripuistis. Ideoque multis in rebus nostrorum Patrum opera est vsus; præsertim cùm de Religiosorum hominum emendatione agebatur. Demum à Virgine sacrum auspicatus Imperium, à Virgine fœlicem migrationem expostulauit. Dieque Dominica Ianuarij 24. agnum Dei in ara immolauit: & die 28. sole occidente, à mortalium regione, sacramentis munitus, inter Sacer-

dotum

dotum preces excessit. Vacauit autem sedes duodecim dies.

# GREGORIVS XV. PONT. MAX. CCXXXVIII.
## Anno Domini MDCXXI.

Alexander Ludouisius, Parentibus Comite Pompeio Ludouisio, & Camilla Blanchina, quinto idus Ianuarias anno 1554. lucem aspexit. Et post pueritiam adolescens in Germanico Romanoque Collegijs apud Patres Societatis est educatus. Post philosophicas facultates, Bononiæ legum peritia imbutus, laureaque insignitus, rursus Romam aduenit: & à Gregorio XIII. primus Capitolij Iudex electus est, haud inani (vt docet eius vita) futuri præsagio Principatus. *Ciaccon.* Eum quippè Pontifex ad se accitum hortatus est, bono animo id muneris interim acciperet, quod sibi quoque fuisset primus ad Pontificatum gradus. Dumque in Cardinalis Rusticuccij tunc ædibus versaretur, suam effigiem vidit, à nonnemine sibi exhibitam, Episcopali primùm infula, mox purpureo pileo, & demum Pontificia Tiara honestatam. A Clemente VIII. creatus vtriusque signaturæ Referendarius, iussus est pro eodem Cardinali Rusticuccio Vicario locum tenere in ciuilibus causis, & aliquandiù Vicesgerentis partes explere, ac inter Romanæ Rotæ Patres adscriptus fuit. Et cùm Clemens malleo portam, quam sanctam vocant, Iubilei anno, percuteret; è Clementis capite, supra Alexandrum Infula Pontificia decidens, adstantes adeò populos excitauit, vt Pontificatum illi augurauerint: quod tamen à P. Solutiuo, Prophetiæ dono ex Minorum Ordine celeberrimo viro, disertissimè illi prædictum fuit. Ab eodem Pontifice Beneuentum destinatus, vnà cum Maphæo Barberino, Cameræ Apostolicæ Clerico, tunc præclari oneris comite, posteà supremi honoris successore, contentionum fibras, Pontificios inter ac Regios Ministros, exortas, admirabili dexteritate *Ciaccon.*

con-

conuulsit. Sed hìc aduertere debeo, quòd cùm in Pontificum gestis hæc porrò verba legissem, & in Gregorij Nauarri Abbatis commentarijs deprehenderim, Vrsulam Benincasam duobus simul sacris Præsulibus, summi Pontificis antiphonam in plurali numero decantantē, supremam ambobus Tiaram prænuntiasse; itineris illius causa, meo arbitratu conieci, hoc ipsam Maphæo Barberino, & Alexandro Ludouisio prædixisse; quod me citato refert D. Ioannes Germanus *in S. Malach. vita num.* 1113. sed an verum omninò sit affirmare non ausim: ea tamen me verba manuscripto in Codice perlegisse, non mentior, & Deum ipsum testem appello. Demum à Paulo V. Bononiensis Archiepiscopus declaratus, excitato in Italia bello, inter Hispaniæ Regem Ducemque Sabaudiæ, eò Pacificator immissus fuit, & anno *1616.* inter Purpuratos adscriptus: susceptoque sacro Pileo, Bononiam ad Archiepiscopatum moderandum se contulit: vbi tandiù hæsit, donec Paulo V. è viuis erepto, redijt ad Comitia, Romam; vnà cum Iulio Cardinali Sabello, qui passim multis aiebat: Futurum hunc Pontificem duco. Imò cùm Narnia pertransirent; Iosephus Calasantius, vir magnarum virtutum, & animi dotibus ornatissimus, qui Scholarum Piarum Congregationem condiderat, & Constitutiones iussus à Paulo Pontifice tunc mortuo perscribebat, Alexandrum Cardinalem adiuit, & apertè constanterque illi Pontificatum prædixit; & quòd à se institutam Congregationem, vt accidit, & nos in eius vita narramus, Regularem in Ordinem approbasset: quòd tamen fusiùs, P. Cosmas à Iesu Maria Expræpositus Generalis *in Vita* narrat. Alexander ergo in Pontificijs Comitijs simul propositus, simul probatus, incredibili omnium partium consensu, *nec dubium* (vitæ Autor ait) *quin designatione diuina*, Romanus Pontifex renuntiatus est, altero ab ingressu Comitiorum die, quinto idus Februarias anno *1621.* Accepta post aliquot dies Pontificia Tiara, adi-

aditaque Lateranensi possessione, non sine omnium plausu munus iniuit. Vallis Tellinæ procellam inter populares illos exortam, iamque inuoluentem Hispaniæ ac Galliæ Reges, & nisi dissolueretur, in fœdum bellum aliquod erupturam, compressit; Regum animos distrahendo, ad suam quemque adhortatus. In Germania Ferdinandum Imperatorem aduersus rebelles hæreticorum acies constanter adiuuit, tùm expedito milite, tùm numerata pecunia in menses singulos: autorque fuit, vt Catholicorum Germaniæ Principum stabiliretur fœdus, qui perpetuo communique exercitu hostem persequerentur, menstruali item censu in eum vsum liberaliter attributo. Septemuiratum Augustalem, iusque ferendi suffragij in Romano creando Imperatore, quo deuolutus ob rebellionem fuerat Rheni Palatinus, ad Bauariæ Ducem Maximilianum, ingenti Christianæ rei bono, transferendum curauit. Ideoque Palatinam Bibliothecam, dono sibi datam, ad Vrbem Romam traduxit. Sigismundo Poloniæ Regi pecuniam attribuit, opemque aliorum conciliauit, contra Turcarum Imperatorem. Sabaudiæ Ducem hortatus est, vt Geneuam, nidum illum hæreticorum, expugnaret. In ipso Britanniæ Regno multa tentauit: Cardinalium conuentum instituit, habendis de propaganda fide consilijs. Ignatium, Franciscum Xauerium, Philippum Nerium, Isidorum, atque Theresiam vna die, nouoque sed laudabili exemplo, in Sanctorum numerum retulit. Diploma de creatione Romani Pontificis per secreta suffragia publicauit. Neapoli An. 1618. ingenti hominum concursu, nec sine miris, viuis excesserat Vrsula Benincasa, quam ipse olim maximi faciebat: instantibusque septem-Viris, eius Theatinæ Eremi regulas approbauit. Sed eius Neptis Catharina Palmeria, initio, Gregorij Pontificatum sub paruæ Tiaræ symbolo aspexit, breuissimè desiturum. Nec fefellit euentus: sensit enim breui sibi vires deficere: vocantisque Dei vo-

cem se alacri animo sequi dixit. Cardinales ad supplendum numerum, Leonis fortasse XI. memor, creare noluit: totumque se rebus cælestibus, æternæque fœlicitati cogitandis conuertit: vniuersæ vitæ noxas pluries expiauit, & cælesti Viatico corroboratus, ac exeuntium oleo delibutus efflauit animam, die Sabbati 8. Iulij 1623. Vacauit Romana sedes eo sublato viginti dies. S. Malachiæ Vaticiniũ fuit, *De tribulatione Pacis*; alludens ad quantum ipse laborem pro multorum Principũ conciliandis animis exantlauerat. Vide D. Ioannem Germanum *num.* 1118.

## VRBANVS VIII. PONT. MAX. CCXXXIX.
## Anno Domini MDCXXIII.

Maphæus Barberinus, Patre Antonio Florentino viro nobili, ac Camilla Barbadora Florentina, lectissima Patricij Ordinis fœmina, Florentiæ in lucem editus fuit anno 1568. Puer à Francisco septem-Viro Protonotario Patruo Romam euocatus, liberaliter educatus est: humanioribusque literis imbutus, & in Dialecticæ Philosophiæque studijs versatus, Latinæ linguæ eam nauauit operam, vt soluta vinctaque oratione cultissimè scriberet. Græcam etiam linguam ita perdidicit, vt Græcorum Patrum monumenta sæpè perlegeret. Demum ad Iurisprudentiam mentem appulit: ac viginti annos natus Lauream Pisis adeptus est. Vbi à Flaminio Caraperio, admotis calcaribus, admonitus fuit, vt Clericali militiæ nomen daret, quòd euaderet Cardinalis & Põtifex. Idẽ Pisis illi Sanleoninũ, ac Bononiæ Maginũ prædixisse ferunt. *Borgar. in Vrb. 8.* Apostolicæ igitur Cameræ Clericus renuntiatus, & in grauissimis rebus à Pontificibus Romanis adhibitus, post multa fœlicissimè gesta, anno 1605. die Septembris 11. in amplissimum Cardinalium ordinem à Paulo V. absens adlectus est: dieque Octobris 30. cùm ex Gallica Legatione redijsset, purpureum galerum accepit, & tit. S. Petri in Monte Aureo, annulumque die Nouembris

bris 12. à quo ad S.Onuphrij anno 1610. 5.Martij die deindè transiuit. Alphonso Vicecomite è viuis erepto, Paulus Pontifex Cardinalem Barberinum à vinculo Ecclesiæ Nazarenæ exemit, & Spoletanæ præfecit: & 1612. Benedicto Card. Iustiniano, in Legationis Bononiensis munere absentem, Barberinum successorem instituit. Gregorio XV. è viuis sublato, cùm Patres, II. à Gregorij obitu die, legi de Pontifice eligendo ab eo latæ obsequuturi, in Conclaue Vaticanum ingrederentur; Maphæo Cardinali Anagrammatismus hic datus fuit: *Barberinus, Vrbanus eris*. Vaticinium etiam quoddam aiunt repertum esse, quod futurum Pontificem indicaret, in cuius insignibus essent apes. Beyerlinckius item narrat in suo theatro *lit. P. fol.* 537. quòd cùm in sacro Conclaui degeret, ad eius fenestram aduolarit examen apum, quasi eidem gratulaturum, quòd Romanus Pontifex euasisset. Parumper distractis igitur in Comitijs Patrum sententijs; at deindè, vt ait Victorellus, Numine omnium mentes permouente; die Dominico, Christi Redemptoris Transfigurationi tunc sacro, ac S.Caietani etiam peruigilio (quem ipse postea Beatorum fastis adscripsit) matutino tēpore, mirifica omnes animorū cōsensione, in Cardinalem Barberinum, per secreta suffragia consensere. Sed cùm in tabellis enumerandis vna ignoto casu defuisset, instauratis suffragijs à priori sententia nemo discessit: quæ res & virtutem electi, & Senatus constantiam declarauit. Et hæc eius electio mirificè Vrbē, nostrumque præsertim Ordinem, quem ipse plurimùm diligebat, exhilarauit. Insigne enim Sacellum in S.Andreæ Templo, maximis deindè cumulatum muneribus, auctumque Indulgentijs excitauerat: & cuncta penè eius Gentilium domus nostrorum Patrum opera in sacris Confessionibus vtebatur. Festo die S.Michaelis 29. Septemb. quem ipse veluti cælestium legionum Ducem, & Catholicæ Christi Ecclesiæ (vt olim Synagogæ) & Pontificis Maximi Custodem,

præcipua veneratione colebat, coronari voluit: & Alexander S.Mariæ in Via Lata Diaconus Card. Estensis eius caput, populo faustas acclamationes iterante, triplici Tiara insigniuit. Deindè S.Fidei propagationem, Deique cultus incrementum exoptans, religiosum Christianæ militiæ Ordinem Conceptionis Deiparæ titulo, sub S. Francisci Regula, instituit. Anno 1624. sacrum Iubilei annum Romæ celebrandum indixit. Aram Principem Vaticani Templi Vrbanus erexit. Ecclesiasticam Ditionem muniuit, & instruxit armamentarijs. Vrbemque ædificijs illustrauit, ac mœnibus cinxit. Cardinales statuit Eminentissimos ac Reuerendissimos appellari. Propagandæ Fidei Seminarium excitauit, ac curæ nostrorum Patrum addixit. Petrum Auitabolem & socios Clericos Regulares primùm Orientalem ad Iberiam & ad Colchidem, mox ad Indiam destinauit: meque deindè post aliquot annos ex ijs regionibus in Vrbem reuocatum, vt Linguarum illarum Gentium institutiones excuderem, benignissimè excepit. Romani Breuiarij Hymnos ad metrum correxit. Diuturnum verò eius Pontificatum futurum esse, quam superiùs dixi, Catharina Palmeria, sub magnæ & longæ Infulæ symbolo præcognouit. Demum morbo afflictatus, ac sacramentis munitus die 29. Iulij Anno 1644. è vita migrauit, annum agens septuagesimum sextum, Pontificatus 21. Vacauit sedes per mensem 1. & dies 17. *Lilium & Rosa* à S. Malachia dictus est, quòd ei Patria Florentia esset, cui Vrbi lilium pro insigni, & quòd ipsi & rosis amicissimæ sint apiculæ, ex Engelgr. *par. 3. in festo Cathedræ S. Petri.* Vide id fusiùs explicatum apud D. Ioannem Germanũ *in Vita Malach. n.* 1131.

---

## INNOCENTIVS X. PONT. MAX. CCXXXX.
### Anno Domini MDCXLIV.

Ioannes-Baptista Pamphilius Camillo Pamphilio, & Flaminia Bufalo Cancellieri, nobilibus Parentibus natus est

Romæ

Romæ die 7. mensis Maij An. 1574. diligenterque educatus ac literis humanis instructus, Iurisprudentiæ incubuit, & Lauream est adeptus. Aduocatus primùm Consistorialis, à Clemente VIII. Romanæ Rotæ Auditor creatus fuit. Gregorij XV. Nuntius Neapolim venit. Ab Vrbano VIII. reuocatus vnà cum Francisco Card. Barberino Legato in Galliam abijt. Deindè Antiochenus Patriarcha renuntiatus, vnà cum eodem Cardinali in Hispaniam missus fuit: vbi Apostolici Nuntij munus exercuit, quoad Romam reuersus in Cardinalium numerum est adscitus. Eius Pontificatum primò B. Felix Capucinus Flaminiæ Matri prænuntiauerat; admonens eam vt bono animo esset: nam filius, quem genuerat, futurus erat Pontifex summus. Id ipsum ab alijs Romanæ Rotæ Auditor audiuit; eidemque iam Cardinali Frater Innocentius à Clusa prædixit. Cui Cardinalis Pamphilius respondisse fertur, his verbis: *Et ego si Romanus Pontifex ero, tuo nomine Innocentius appellabor*. Sed & repertum Panormi hoc Vaticinium fuit: *Vigesima nona die mensis Iulij Vrbanus Pontifex è viuis excedet: & Missus à Deo ad Petri solium sublimabitur*. Quod qui reperere, vt Vrbanum prædicta die efflasse animam audierunt; arbitrati per missum à Deo Cardinalem Gabrielem intelligi, statim ad ipsum vnà cum literis Vaticinium transmisere; quo ille accepto, vt exitum vidit, ita rescripsit: Missum ad me Vaticinium verum fuit: sed missus à Deo non ego Cardinalis Gabriel eram; sed vt quotidie in Missa legimus, *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes*, Cardinalis scilicet Ioannes-Baptista Pamphilius. In alio etiam Codice, Vaticinium hoc exaratum extabat: *Post Apes in liliorum suauitate Columba*. Quæ scilicet gentilitium insigne Pamphilio componebat. Columba etiam iampridem ante Vrbani obitum sub Vaticanæ Ædis porticu visa fuit; quæ cùm plurimos ibi dies hærere soleret, nec strepitu depulsa auolaret, multis qui curiosè cernebant,

futuri

futuri Pontificis omen dedit. Altera etiam Columba in Cardinalis cubiculum per fenestram ingressa, cùm famuli eam capere eniterentur, quasi ad asylum, sub Cardinalis purpuram se recepit. Bononiæ quidam vir religiosus dum oraret, sibi visus est hanc vocem audire: *Hoc mane vndecima hora Pontifex Vrbanus excessit; & is ad Petri solium ascendet, in cuius gentilitio stemmate Columba conspicitur.* Quidam Franciscani Ordinis alumnus Colonia scripsit Romam: *Quamplurimi hìc opinantur, Cardinalem Pamphilium Tiaram Pontificiam accepturum.* Neapoli etiam aliquot Clerici Regulares in Paulinæ Domus Bibliotheca, animi gratia, grati ac iucundi argumenti Codices euoluebant: & cùm in Ioachimi Prophetias de Romanis Pontificibus incidissent; nonnemo cum risu petijt, quis nam è Cardinalibus, qui tunc in viuis agebant, post Vrbani obitum renuntiandus esset Pontifex summus? Siluere qui aderant, cùm vnus ipsorum morum sanctitate ac sapientia præditus, vultu serio & graui dixit: *Papa erit Cardinalis Pamphilius.* Romæ etiam mirum fuit stemma quoddam, quod extremis Vrbani mensibus à nostro P.D. Francisco Maria del Monaco anno 1644. in Thienæi, siue Euangelicæ Paupertatis Characterum facie impressum fuit, quod hodie apud me extat. Columba nimirum alis euolans, & Oleæ ore ramulum ferens; ad cuius frondes, & auis pedes, tres Vrbani Apes humiles vt eos lamberent aduolabant. P. Iosephus Mansius è Congregatione Oratorij, vir doctus ac eruditus, librisque editis in lucem illustris, cùm sedente Vrbano VIII. Parmenses milites Ditionem Ecclesiasticam occuparent, & haud leue damnum agris inferrent, multique de belli exitu vehementissimè trepidarent; Venerabili viro, Iosepho Calesantio, Scholarum Piarum institutori, ac sanctitatis fama in Vrbe notissimo, sibi semel obuio retulit, quòd tunc nonnulli Abbatis Ioachimi Vaticinium illud, *Draco vorabit Apes*, extimescebant. Quod P.
Iose-

Iosephus vt audiuit, vultu hilari respondit, his verbis: *Non is Draco est, de quo loquitur Ioachimus: Bellum hoc breui cessabit, nam omnia componentur*. Dictoque adfuit fides: nam intra paucos aliquot dies, cùm P. Mansius initam Pacē animaduerteret: dieque sanctæ Marthæ sacro (quæ cum Dracone à Pictoribus exprimitur) audiuisset, Vrbanum Pontificem obijsse, Iosephi virtutem deprædicauit. Cùm verò Comitia post Vrbani exitum haberentur; vox erupit, quendam Cardinalem Pontificem euasisse: quod vt eidem P. Iosepho relatum fuit; constanti ille animo iterum respondit his verbis: *Non hic, sed Ioannes Baptista Pamphilius erit Pontifex*. Quæ omnia P. Cosmas à Iesu Maria in eius vita fusè describit. Demum in Comitijs de Cardinali Sacchetto promouendo à Patribus agebatur: cùm Columba in Conclaue per fenestras ingressa diù circumuolitauit: multisque rei exitum intentis oculis expectantibus, supra Cardinalis Pamphilij cubiculum hæsit; qui die 15. Septembris Anno 1644. summus Pontifex mira Patrum consensione delectus fuit: festoque die S. Francisci Apostolicam Tiaram suscipiens, quamplura ex auro & argento numismata elargitus est, quæ Conceptæ Virginis imaginem excusam habebant. Restituit Venetæ Reipublicæ elogium ab Vrbano deletum. Nonnulla vectigalia sustulit. Vetuit ne Cardinales Principes Coronam in insignibus adderent; aut titulo ipsi Celsitudinis vterentur. Castrum funditùs diruit ac solo æquauit. Iubileum indixit. Cornelij Iansenij Episcopi Iprensis aliquot propositiones damnauit. Ecclesiam S. Agnetis à fundamentis restituit. Circum Agonalem, Vaticanam, ac Lateranensem Basilicas exornauit. Catholicosque Hiberniæ fouit. Eius tempore Syracusis, in nostro Templo S. Andreæ, Sodalitas Equitum Columbæ instituta est, ab Antistite Ioanne-Antonio Capiblanco: cuius sodalitatis insigne fuit, Columba volans, & ore oleę ramusculum ferens: de qua scripsit P. Marracius *in Regibus*

*Beyerl. alijque.*

*Marianis cap. 9. §. 6. fol.* 143. Vide *meas Disquisitiones de ritibus solitudinis fol.* 133. Sed cùm Vaticinium illud circumferretur, quod Romæ agens audiui, *Morietur in thure*, Innocentius Ecclesiæ Sacramentis munitus obijt, die 7. Ianuarij inter octauas Epiphaniæ, cùm Thuris interdum mentio Ecclesiastico in Officio habetur. Eius Infulam Catharina Palmeria nec breuem nec longam affirmauerat futuram fuisse: vereque eius Pontificatus nec Gregorij nec Vrbani tempori est cōferendus. Vacauit autem sedes post eius obitum menses tres.

---

## ALEXANDER VII. PONT. MAX. CCXLI.
### Anno Domini MDCLV.

Fabius Chisius Senensis natus est die 13. Februarij Anno 1599. nobilibus parentibus Flauia & Laura Marsilia: diligenterque educatus linguam Latinam adeò didicit, vt in ea disertissimè scriberet, ac pangendi etiam carminis peritia vehementer excelleret. Grauioribus deindè disciplinis instructus Romam se contulit: & ab Vrbano VIII. Prolegati primùm Ferrariæ, mox Inquisitoris Melitensis munus obtinuit: vnde rediens Apostolici Nuntij nomine Coloniam missus fuit: vbi varias prædictiones audiuit: ac præsertim quædam Augustinienses sactimoniales ipsum rogarunt, vt si Pontifex esset, B. Thomam à Villanoua in numerum Sanctorum referret; quod ipse, & propter B. illius Antistitis sanctitatem, & quòd familia Chisia Augustiniensis semper Ordinis studiosissima fuit, volenti animo præstitit. Vrbano ergo viuis erepto, cum Innocentius X. die 19. Febr. 1652. in Senatum adscripsit: ac quasi diuinans eidem Pontificatum prænuntiauit; quem post tres annos adeptus est. Tiara suscepta Iubilæum promulgauit. Exornauit Templa quamplurima. Gymnasij publici ædificationem absoluit. Bibliothecam instituit. Quirinale palatium ampliauit. Procurauit Vrbis nitorem. Sanctorum numerum auxit. Christia-

stianam Sueciæ Reginam ad Catholicam fidem venientem honorificentissimè excepit. Multas in rebus moralibus Doctorũ eliminauit Opiniones. Nostræque Basilicæ S. Andreæ magnificè faciem exornauit. Post tres verò illas Infulas, quas superiùs percensui, Catharinæ Palmeriæ effusè precanti hic Pontificatus ostendebatur, sub quo nostri homines ad Recessum instituendum venirent; vt Neapolitani Proregis, & Catholici Oratoris instantia, factum fuit: ac Theatinarum Eremicolarum ædificium perficiendum curauit primùm Comes de Pignoranda, deindè Eminentissimus D. Paschalis Aragonius Cardinalis, ac mox D. Petrus eius germanus frater magna animi contentione absoluit, & clausit, Præposito nostri Ordinis Generali D. Petro Paulo Nobiliono. Sed demum Pontifex calculi doloribus afflictatus, vexari acriùs morbo cœpit: dieque 20. mensis Maij An. 1667. sexaginta nouem annos natus fato concessit, ac in arca sepultus fuit, quam sibi Pontificatus initio præparauerat. Regnauit in Cathedra S. Petri annos duodecim, Vacauitque sedes eo mortuo mensem vnum. Nos illi debemus, quòd nostras Eremicolas sanctimoniales à se Paulinas siue Theatinas vocatas, antequam institutæ essent, Indulgentijs exornauerit.

## CLEMENS IX. PONT. MAX. CCXLII.
## Anno Christi MDCLXVII.

Iulius Rospigliosus Pistorij Hetruriæ Vrbe nobilibus parentibus natus, post pueritiæ rudimenta, literis in Romano Collegio imbutus est. Nec grauioribus disciplinis solùm incubuit, sed & poeticam facultatem, qua mirum in modum oblectabatur, ita perdidicit, vt magnam sui admirationem apud Romanæ Aulæ Proceres excitauerit. Itaque sacræ Rituum Congregationi à secretis, etiam Principum Diplomata perscribebat. Deindè Nuntius Apostolicus in Hispaniam missus, post aliquot annos cùm redijs-

set, Vrbem Romam interregni tempore gubernauit: quoad ab Alexandro VII. Secretarius status renuntiatus, in sacrum Senatum adscriptus fuit sub tt. S. Sixti; eodenque viuis erepto, ad hunc supremum Principatum ascendit, quem religiosissimè administrauit. Bella sedauit inter Principes Christianos. Imminutis vectigalibus, inductaque annonæ vbertate, populos recreauit. Fouit pauperes, sæpe Xenodochia visitauit, & ægris cùm cibum sumerent inseruiuit. Sacras interdum Confessiones audire solitus erat. Gallum Regem Ludouicum XIV. in Thraces incendit. Venetos verò militibus & pecunia tanto animi studio ad Cretæ defensionem contra Turcas adhortabatur; vt cùm eius Insulę expugnationem seu potiùs deditionem audiret, multis lacrymis ingemuerit: quamobrem ex dolore morbum contraxit, quo demum confectus septuaginta annos natus animam Deo sanctissimè reddidit die 9. Decembris 1669. sui Pontificatus anno 2. Hoc Pontifice nostra Theatinarum Sanctimonialium Eremus, non sine admiratione Orbis, est instituta, quam suis ipse laudibus pluries ac plurimùm efferre solitus erat, & insigni quadam Virgine Eremicola exornare moliebatur. Ipsum S. Malachias *Sidus Olorum* vocat: vel quòd ex literis eius nominis, *Dominus Iulius Rospigliosius*, hoc numericum & purum Anagramma deducitur: *Sidus Olorum nunc est Clemens Nonus*. Vel quòd olim Poetis oblectaretur; nam ex Pierio, *Boni Poetæ symbolum est cycnus*. Vel quòd ad Patriæ familiæque tesseram alludit, vt D. Ioannes Germanus *in Vita S. Malachiæ num.* 1211. & hoc etiam Epigrammate ostendit:

*Ad sanctissimum D. N. CLEMENTEM NONVM.*

*Stemmata sacra micant, Rhombisque simillima Cycno*
*Cælesti è superis lumina fausta ferunt.*
*Quattuor existunt: sed cunctis vna figura est:*
*Nempe eris in mundi partibus vnus amor.*
*Vnus amor mundi, cui sit Clementia mater*

*Diua*

*Diua potens, vero progenerata Deo.*
*Diua potens iterum Græcorum Cypride maior.*
*Labitur illa polo, nascitur ista salo.*
*Cycnis illa canit, mœstis gemit ista Columbis:*
*Illa habet aligeros quattuor, ista duos.*

Nos solenni illa die, qua Eremicolas sanctimoniales in Cœnobium introduximus, inter varia Elogia & Epigrammata, in Clementis Noni laudem, appinximus hoc Decastichon:

*Vrbis amor, columenque Orbis, quo Roma Parente,*
*Fert septemgemini Collis ad astra caput.*
*CLENENS NONE, Tibi innumeros Deus augeat annos:*
*Et Te fælices præstet habere dies.*
*Tu struis, instituis, firmas velut Auctor Eremum:*
*Tuque, Dei insigni munere, condis Opus.*
*Nunc capio cur stemma leues, vbi tessera Eremi*
*Albo & cæruleo tincta colore micat.*
*Si illi, qui tulerit lapidem tot dona spopondit,*
*Quas dabit Auctori nunc Tibi Olympus opes?*

## CLEMENS X. PONT. MAX. CCXLIII. Anno Christi MDCLXX.

Æmilius Bonauentura Laurentij Alterij, & Victoriæ Delfini, Nobilium Parentum filius, Romæ in lucem editus fuit die 14. Iulij An. 1590. de cuius familiæ antiquitate atque nobilitate plures scripserunt. Ipse ergo literis plurimùm eruditus, & inter Romanæ Aulæ Præsules adscriptus, B. Virginis Domui Lauretanæ præpositus, Regni Poloniæ Auditor, Episcopus Camerinensis, Neapoli Nuntius Apostolicus, sacræ Congregationi Episcoporum & Regularium à secretis, & Cubiculo etiam Pontificio præfectus, tantam in B. Caietanum deuotionem conceperat, cùm Neapoli ad

eius sepulcrum populorum frequentiam inspexisset; vt quotannis Camerini eius festum, suis eò transmissis aulæis, solennissimè celebrandum curauerit. Iamque Venerabilis Dei Vir D. Petrus Iardina, vitæ sanctitate conspicuus, explicatè prædixerat, B. Caietanum ab eo in Sanctorum numerum referendum fuisse. In Cardinalium Collegium cooptatus die 29. Nouembris, post quinque menses die 29. Aprilis anno 1670. tametsi multis cum lacrymis reluctaretur, ad totius Orbis fasces euectus fuit: vt sorori eius Sanctimoniali Dominicanæ, quædam Rosalia Panormitana, vitæ spirituali addicta, prædixerat; quæ etiam interrogata quot annos viueret, sex circiter cum regnaturum esse affirmauit. Die 4. Maij ante Basilicam S. Petri Pontificiam Tiaram accepit; ac multa benignitatis & clementiæ documenta populis præbuit. Tunc D. Petrus Antonius Aragonius Prorex, insigni pompa, & quæ omnium expectationem excessit, Romam profectus est, vt, Catholici Regis nomine, nouo Pontifici obedientiam exhiberet: nec facilè dixerim, quanto ipse splendore ac magnificentia à Pōtifice exceptus sit. Ego, cùm illi à Confessionibus essem, supplices libellos ferebam; quibus statim exhibitis, hæc omnia Pontifex benignè elargitus est. Primò omnium indulsit, vt Clerici Regulares sanctissimæ Conceptionis Scapularium benedicere ac distribuere possent. Secundò, hanc nostram Domum Recessus, prope Theatinam Sanctimonialium Eremum, firmauit. Tertiò indulsit, vt Priuilegijs, indulgentijs, gratijs, quibus Toletanæ sanctimoniales sanctissimæ Conceptionis hodiè gaudent, nostræ etiam Eremicolæ Sanctimoniales ac Virgines vterentur. Quartò cōcessit, vt quotannis nostri Patres ac Virgines Purificatæ Deiparæ octauam toto Orbe concelebrarent. Quintò dedit, vt quintis ferijs, sabbatisque non impeditis, nostræ Sanctimoniales Christi Corporis & Conceptæ Virginis Officium canerent. Quin multa alia B. Mariæ Virginis aut Sancto-

ctorum Officia tunc illi à Pontifice concessa fuere, quæ vel toto terrarum Orbe, vel saltem in Regionibus Regis hodie Catholici, recitantur. Deindè quinque Beatos, & primo loco nostri Ordinis Conditorem Caietanum Sanctorum fastis adscripsit. Sed vt redeam ad præsagia eius Pontificatus, Antonius Agraz, in oratione, Caroli II. Hispaniarum Regis nomine, ad eundem Clementem X. habita, cùm D. Petrus-Antonius Aragonius illi Obedientiam præstitisset, inter alia hæc ait: *Translato in Cælum Clemente IX. & conuocatis tandem ad successorem eligendum comitijs, dum Patres adhuc pendent, Auraque immortalis spiramina deprecantur, ecce tibi vox vno eodemque tempore, vniuersa Vrbis fora, templa, compita, omnesque priuatorum domus implere, lætisque vbique clamoribus excipi, septanaque montium Echo replicari, diuinam Pontificatus sortem in Alterium cecidisse. Euanuit tandem mærente Populo rumor ille, sed Populi spes non euanuit: quin imò hoc Cæli prægestientis symbolo, visoque pluries inter diem sydere, tuos primùm super lares emicante, mox inde Vaticanum, veluti futuri nuntio progrediente, ita cunctorum præsagia firmata sunt, vt Comitiorum moras propemodùm increparent; ignari omnia statis ab æterno temporibus in hanc Mundi scenam produci, & sublimibus euentis Numen signis præludere, magnum aliquid mox venturum annuntiantibus.* Hactenùs ille. Interim in Flauio Vrbis Amphitheatro, nonnulli, bacchanalium tempore, vt populi licentiam aut planè lætitiam exaugerent, loci illius opportunitate & amplitudine illecti, ludos aliquot & si honestos instituere cogitarunt. Iamque tabulata & sedes hinc inde summa animi contentione in orbem erexerant, ad omnem scenicum aut arenarium apparatum, vt locus esset promiscuè omnibus ad spectandum. Quod cùm P.D.Carolus Thomasius, Palmæ olim Dux, tunc Clericus Regularis, spretis Mundi honoribus, diuitijs, Infulis, & tam vitæ sanctitudine quàm editis ingenij monumen-

tis

tis illustris, vix semel inaudiuisset; rei indignatione commotus, ac captus loci religione, quem ob fusum largiter in eo Martyrum sanguinem, magnoperè venerari, inuisere, adorare, & deosculari solebat; festinus, zeloque percitus ad Pontificem adijt: instanterque adeò perorauit, vt facilè exorauerit quod flagrantissimè optabat. Beatissimus enim Clemens, D. Caroli verbis vehementer incensus, omnes ludos illos statim inhibuit; eidenque P. D. Carolo facultatem indulsit, Amphitheatrum vt clauderet; & vt ipse rogabat, in eo ædiculam excitaret: ad quod ille opus, pientissimum Principem Pamphilium, sibi amicissimum, suis sæpe sermonibus ac hortamentis incenderat. Edidirque ea de re Chirographum Pontifex, hunc in modum: *Reuerendissime Cardinalis Camerari. Ad Pedes nostros, exposuit viua voce P. D. Carolus Thomasius Theatinus, Amphitheatri Flauij, vulgò dicti Colossæi, quanta sanctitas sit, & quali veneratione sit dignum, vtpotè cruore tot SS. Martyrum consecratum; qui, trecentorum annorum spatio, gloriosa in eo certamina siue Martyria pertulerunt. Sed longa annorum serie, tot penè victoriarum memoria, quas reportarunt Christi fideles contra gentilitatem, obliterata, & veneratio huic sancto loco debita, extincta est. Quocircà nobis insinuauit, vt ad excitandam, & accendendam in fidelium cordibus antiquam venerationem ac pietatem, & ad omnem remouendam occasionem, ne nouis vnquam spectaculis profanetur, claudi illud veluti locum Deo sacrum permitteremus: vt nulli illac ampliùs aut currus aut equi transire queant; & ita sanctorum Martyrum cultui destinatum habendum esset. Quã nos admodùm piam, & religiosam, ac nostræ Voluntatis applicatione dignam instantiam arbitrati; ei libenter annuimus. Quamobrem nostro motu proprio, ac certa scientia, & de nostræ auctoritatis Apostolicæ plenitudine, tibi demandamus, vt cùm ab eodem Patre fueris requisitus, pro exequutione adeò boni Operis, illi assistas: tibi plenam ac liberam*

*facul-*

*facultatem impertientes, vt eidem vel alij, quem ad ipsum hoc munus aptiorē existimabis, indulgeas, vt Colossæum claudi possit &c.* Et qui illi à secretis fuit, Chirographi tergo seu fronti, pro more, hanc paucis summam apposuit, grandioribus literis exaratam: *Sanctitas vestra P. Carolo de Thomasi Theatino facultatem indulget, vt Amphitheatrum Flauium claudat, vulgo Colossæum appellatum: & Cardinali Camerario demandat, vt ea de re illi potestatem expediat, ac quicquid aliud opus sit.* Quod hodie factum nemo non laudat, & Venerabilis Viri zelo acceptum cum admiratione non refert: qui sub eodem Pontifice, die S. Almachio sacro, cui ædicula illa dicata est, cum magna sanctitatis opinione, & amplissimorum Patrum existimatione, ac ipsius Clementis commendatione, in Vrbe decessit. Ipse verò Pontifex, post Iubilei annum, & quamplura alia præclarè gesta, quæ omittimus, die 22. Iulij Anno 1676. ætatis suæ 86. Pontificatus verò 6. è vita migrauit, nolens in morte Cardinalium creatione numerum Senatus implere. Vacauitque Sedes Apostolica menses duos. Verbis illis, *De flumine magno*, à Ioachimo Abbate prædictus fuit: vel quòd Tybris Vrbem Romam eius Patriam alluat, & in eius ortu tumidior inundauerit: vel quòd cæleste illud Fluuij signum gentilitij eius stemmatis sydera repræsentēt; vt D. Ioannes Germanus *in vita S. Malach. fol.* 409. & stylo & schemate egregiè ac eruditè demonstrat.

## INNOCENTIVS XI. PONT. MAX. CCXLIV. Anno Christi MDCLXXVI.

Benedictus Odescalchi, Liuij Odescalchi, & Paulæ Castelli ex illustri admodùm genere die 19. mensis Maij Anni Domini 1611. Comi, in lucem editus fuit. Antiquissima hæc Vrbs, ex Ferdinando Vghellio *to.* 5. *Italiæ sacra fol.* 233.

233. nobilitate ac populo frequens & grauis, eximia agri fertilitate efflorescit: eiusque Antistites veteri Priuilegio gaudent, vt gentilitio stemmati, more Romanorum Pontificum, claues in modum Crucis affigant. Summa itaque Benedictus Parentum cura educatus fuit, & tàm moribus quàm literis sedulò excultus. Cumque maiorum suorum excitatus gloria, ad militiam aliquando animum appulisset; Neapoli multorum Equitum Ducem egit: qui tamen, non modò strenuus fuit, sed & præter aliorum militum morem, mira semper honestate, pietateque animi, ac in pauperes beneficentia emicuit. Ferunt, hìc, Bartholomæum Benincasam celeberrimum virum, quem magni Proceres ac Principes adire non dubitabant, summum illi Ecclesiæ Principatum, aut eidem, aut de eo loquentem, augurauisse. Sed militaris & secularis vitæ demum pertæsus, grauioribus disciplinis incubuit: & Anno 1639. Lauream, in almo Neapolis Gymnasio, viginti octo annos natus, adeptus est. Deindè in Vrbem se contulit: vbi, à Iulio Roma S.R.E. Cardinali etiam incitatus, Clericali Militiæ nomen dedit; & ab Vrbano VIII. renuntiatus Protonotarius, R. Cameræ Præses, Commissarius Apostolicus vt rationes totius Ditionis Ecclesiasticæ recognosceret, ac Gubernator Piceni fuit: & ab Innocentio X. Clericus Apostolicæ Cameræ, dieque sexta mensis Martij An. 1645. in Purpuratorum Patrum Senatum est cooptatus: ac primùm Ferrariæ, mox ad Imperatricem, insigni cum laude omnium, Legationes obiuit. Nouariæ verò Episcopus tanto cum vitæ exemplo resplenduit, vt omnes eius innocentiam, liberalitatem in pauperes, & in Pastorali cura vigilantiam & zelum vehementer admirarentur. Nec solùm Ecclesiasticum Patrimonium, sed & domus suæ diuitias, quibus admodùm affluebat, in Xenodochijs substentandis, alendis pauperibus, iuuandisque Christianorum Principum Bellis contra Turcas & Hæreticos, largissimè solebat impendere.

Romæ

Romæ etiam, veluti omnium virtutum exemplar, in multis Congregationibus, & in Vaticanis Comitijs, omnes ad summam admirationem semper adduxit. Quocirca, vt non semel ad Comitia ingressus est, quamplures eum, mira & incredibili animorum consensione, Pontificem postulabant: quibus ipse multorũ votis ac desiderijs adactus, non solùm precibus, sed & lacrymis vbertim profusis, obnitebatur. Nec tacendum videtur, quòd Comi olim veluti Præsagium accidit, Dignitatem illi Pontificiam futuram prænuntians, ab insigni viro, tunc nostri Ordinis Præposito Generali, P. D. Carolo Pignatello, mihi suis literis indicatum. Quippè cùm, ob eius Cardinalatum, festiui vbique ignes accenderentur; vt Comenses alias Vrbes, quæ hinc inde longè distabant, ad lætitiam prouocarent, altissimam Baradelli turrim, vt vocant, quod olim Castrum dirutum fuerat, supra eminentem collem extructam, miris vbique excitatis incendijs exornarunt: ad cuius summitatem, longissimis scalis admotis, cùm peruenissent: dum ignes ac flammas aptè disponerent; inter eius parietinas, duas prælongas Claues ferreas repererunt; quas cum admiratione intuentes, in Romani Pontificatus auspicium accepere: arbitrati scilicet indicium esse, quòd Cathedræ olim S. Petri Cardinalem Odescalchum Diuina Prouidentia ante secula destinauerat. Nec fefellit euentus: nam triginta annis elapsis, Clemente X. elato, cùm in eum Hispanorum & Gallorum, ac penè omnium suffragia mirificè conuenissent; die 21. mensis Septembris, S. Matthæo Apostolo sacra, cum ingenti totius Vrbis ac planè Orbis lætitia, quanuis ipse, vt dixi, reluctaretur, renuntiatus fuit Pontifex Maximus. Primoque omnium, abolere (vt aiunt) Nepotismum adorsus, Eminentissimum Alderanum Cybo, cum quo illi arctissima necessitudo ob morum similitudinem intercesserat, principem sibi Administrum & à secretis asciuit: Virum quidem, ob natalium lucem, eximiam animi integritatem, gerendarum rerum prudentiam, sapientiam & constantiam

admirabilem, aliasque illi dotes animi supparem, & omnium laude ac calamo commendatum. Qui cùm nostris Comitijs Generalibus Maio ab eo mense præfectus esset; vidit, mira Conscriptorum Patrum conspiratione, creari Præpositum Generalem, D. Placidum Vicecomitem, Beatissimo ipsi Pontifici non parùm acceptum: in quo & magna Generis claritas, & ingens literarum eruditio, prudentia, ac planè integritas elucescunt. Hic verò Pontifex, S. Malachiæ Vaticinio, *Bellua insatiabilis* appellatur. Quod Oraculum R.D. Ioannes Germanus, vir doctrina & eruditione conspicuus, *in secunda additione historico-symbolica cap. 4. & seq.* quadrare illi non vna ratione demonstrat, ex Patria, Gentilitio stemmate, Titulo Cardinalatus, Cognomento & Nobilitate Familiæ. Sed ego S. Malachiam allusisse in illo arbitror ad leonem, Gentilitio in eius stemmate expressum, terroremque Ecclesiæ hostibus quem fama sanctitatis incusserit, & ad veterem amicitiam atque animi coniunctionem cum Cardinali Alderano Cybo, quē propter similitudinem morum, vt dixi, semper apud se habere desiderat, quasi eius familiaritate & alloquio insatiabilis; quod etiam licet rudi Epigrammate sic expono:

*Ad Sanctissimum & Beatissimum Pontificem O. M. INNOCENTIVM XI. Belluam insatiabilem S. Malachiæ Vaticinio nuncupatum.*

*O Qui Nomen habes, quod Vita innoxia præstat:*
*Cui Virtus merito, vt luce Tiara micat.*
*Te bene stemma decet, referens super axe Leonem;*
*Cui non exsatiant vasa cruore famem.*
*BELLVA es Hæreticos exterrens atque scelestos;*
*Semper adesse volens INSATIATA Cibum.*
*Nunc age, si rugis, vel ab Vrbe tueberis Orbem:*
*Et Cybus iste, Orbis daps erit, atque salus.*

Cùm Comitia verò illa, vt dixi, nostri Ordinis, in S. Siluestri ædibus, haberentur; tametsi Roma abessem; Oratiunculā ad Eminentissimū Cardinalē Alderanū, & Patres, scripsi, & in lucē edidi, quā adijcio. D. FRAN-

# D. FRANCISCI MARIÆ MAGGIO

CLERICI REGVLARIS PANORMITANI,

E Neapolitano Recessu sanctissimi Sacramenti, & immaculatæ Conceptionis,

## ORATIO AD THEATINOS PATRES,

Romæ Anno Christi 1677.

*Sexta die Mensis Maij,*

IN GENERALI CAPITVLO,

## INNOCENTIO XI.

Sanctissimo & Optimo Pontifice,

Congregatos,

*Coram Eminentissimo, & Reuerendissimo D.*

## ALDERANO CYBO,

S.R.E. CARDINALI.



NEAPOLI, Typis Nouelli de Bonis Typ. Archiep. 1677.

*Superiorum Licentia.*

# Eminentiſsime, ac Reuerẽdiſsime PRINCEPS.

TAmetſi, vel Regij propè ſanguinis claritate, vel Purpuræ ſplendore, vel ſanctitudinis fama, vel auguſtiſſimi Muneris dignitate, quàm magnus hodie Princeps ſis, ſupra omnes iſtic meritò elatus; ac Chriſti Vicario ſanè proximus, vniuerſum ferè terrarum Orbem temperes, & illuſtres: & ſim ego treſſis, ac nullius æris homuncio, indignus aſpici, ac nominari: qui congreſſus hominum caueo, & conſultò in Receſſu verſor, vt meæ exiguitati, ac vilitati, planè proſpiciam; ea tamen eſt ingens profectò Humanitas, Comitas, & Affabilitas tua: & tanta omnes facilitate, ſuauitateque admittis, atque complecteris; vt ego quoque animum ſumam, & ad Te non ſolùm ſcribere audeam, ſed etiam munuſculum deſtinare, rude, & quidem incomptum; ac quod & ſi meam fortaſsè ignauiam, & inſcitiam prodet, paupertatem quam profiteor, & Eremitorium in quo lateo, non dedeceat. Hanc nimirum extemporaneam, vt ita dicam, Orationem: quam, cùm Te noſtris Comitijs à Beatiſſimo Pontifice deſtinatum audiui, ingenti lætitia perfuſus, currenti propè calamo ſcripſi: & ex ijs, quos hactenùs varios, ac permultos in lucem edidi, libellos aliquot aſceticos ad Te mitto; quibus ſubſeciuis, ac ſtatis horis, vt audio, plurimùm oblectaris. Sed cùm B. Mariæ Virgini Deiparæ addictiſſimus ſis; Opuſculis hiſce meis, etiam Scapulare immaculatæ eius Conceptionis adijcio: quod oro, vt pro tua pietate non aſperneris, nec graueris ſuſcipere, ac deuotè deferre: cùm plures illud Eminentiſſimi, ac Præſtantiſſimi Cardinales, præſertim Franciſcus Maria Brancatius, & Petrus-Aloyſius Carafa, ac permulti Principes, Antiſtites, & viri Religioſi, ſtudioſiſſimè induerint, ac geſtauerint: antequàm Sanctiſſi-

ctiſſimus Clemens Papa X. noſtris hominibus facultatem impertijſſet, vt, vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, ea benedicere, ac ritè diſtribuere poſſent. Par eſt enim, vt dùm Theatinis Comitijs, tanta benignitate, ac beneuolentia, præes; Theatinam hanc Teſſeram è Cælo delapſam, qua Theatinæ Eremicolæ inſigniuntur, in B. Mariæ Virginis honorem, induere, ac geſtare non dedigneris. Quæ quibus cumulata ſit gratijs,ac muneribus aucta, & quàm iuuet in vita induere quenquam; alibi denarramus, haud facilè his literis breuiter & obiter explicandum. Qua tamen prudentia, ac ſapiéntia polles, facilè id ex Te conijcere potes, ſi noſtrarum Eremicolarum Monialium inſtitutum expendas; quæ, frigidis his temporibus, cùm nimirùm (heu!) ſanctitas,& Dei vbique haud parùm amor intepuit, ita latent, ac feruent, vt Parentum, gentilium, neceſſariorum, & omnium terrenarum rerum oblitæ, nulli homini loqui poſſint; & veluti extra mundum, ſoli Deo viuere, & cum eo agere videantur. Cùm vero hæc Scapularia noſtri homines, niſi Neapoli, & alicubi in Sicilia, non induerint: & plerique ea ſuſcipere ſtudioſiſſimè concupiſcant; ego omnia Scapularia,pro ſingulis Capituli Patribus, ad Te mitto: oroque fixis humi genibus Eminentiam Tuam, vt iniri Theatina iſthæc Comitia non permittas, niſi Tu primùm, omnibus, ſacris ea precibus impoſueris:quod & perhonorificum Ordini, & (vt præſertim opto, & exquiro)Deo gratum,ac Beatæ ipſi Mariæ Deiparæ Virg. acceptiſſimum erit. Comitijs demum,vt ſpero, ad Dei O. M. Gloriam, & Ordinis dignitatem, abs Te fœliciter abſolutis, Receſſum hunc noſtrum, quem magnoperè iuuare Ordinem, religioſamque mirificè diſciplinam augere, nullus inficiabitur; tuis gratijs honeſtare, & exornare non prætermittes. Tum ſupplicem Libellum, quem mitto, Beatiſſimo Pontifici tua exhibere manu dignaberis, multorum virorum inſignium ſubſcriptione firmatum, vt indulgentiam

tiam

tiam impetres, hæc piè verba pronuntiantibus: *Laudetur sanctissimum Sacramentum; & sit benedicta semper ab omnibus B.Mariæ Virginis Puritas, & immaculata Conceptio.* Summa ego demissione animi, ac reuerentia, sacram Eminentiæ Tuæ Purpuram osculor; & Deum, ac Deiparam instantissimè exoro, vt bono totius Reipublicæ Christianæ vitam Tibi diu incolumen seruent. Vale.

---

## D. CAROLVS PIGNATELLVS
### Præpositus Generalis CC.RR.

*ORatio ad Patres, in Generali Capitulo congregatos, à P. D. Francisco-Maria Maggio composita, & iuxtà assertionem Patrum, quibus id commisimus, approbata, vt typis mandetur, quoad nos spectat, facultatem concedimus. In quorum fidem præsentes literas manu propria subscriptas, & solito sigillo nostro firmatas dedimus, Romæ, &c.*

D.Carolus Pignatellus Præp.Generalis CC.RR.

*D.Caietanus Capycius Minutulus Sec.C.R.*

### *Approbatio PP. Theologorum.*

*IVssi ab Admodùm R.P. D.Carolo Pignatello Præp. Generali, P.D.Francisci-Mariæ Maggio C.R.Orationem, ad Patres in Generali Capitulo congregatos, diligenter inspeximus: & cùm nihil à nobis inuentum sit, quod impressionem impediat, & quod planè laudem non mereatur, in luce edi & vulgari dignissimam arbitramur, &c.*

D.Dominicus Montaltus C.R.S.T.P.

D.Andreas Brancatius C. R. S. T. P.

*Imprimi potest.*

Ioseph Imperialis Societ.Iesu Theologus Eminentissimi.

ORA-

# O R A T I O.

1 QVammaximæ, & immortales gratiæ à nobis, Eminentissime Princeps: quammaximæ, & immortales, inquam, à nobis gratiæ, largitori bonorum omnium Deo, ac immaculatæ Deiparæ (cuius omne donum manu è Cælo delabitur) non sine summa animi demissione, hodierna luce, enixè debentur: quòd istos Conscriptos Patres, terra marique per varia pericula incolumes, Romam, ad Mundi Caput: ad Anchoram Fidei: ad Sedis Apostolicæ Cathedram: ad veræ Religionis, & Sapientiæ Domicilium: ad Petri Solium: ad supremi Arcem Imperij: ad Aulam, & Speculam totius Catholici Principatus: ad totius terrarum Orbis Asylum: ad Domum istam (vt ita dicam) vnius Moris: ad istam Virtutum omnium, & cunctarum planè Artium Officinam; è plerisque terrarum Orbis Regionibus, quàm longè diuersis! quàm longè dissitis! lætis hisce ob Dominicæ Resurrectionis Mysteria, tametsi ob Mundi clades, & bella, difficillimis, & periculosis temporibus, euocauerint: vt ad Romani Pontificis, qui Dei vicem gerit in terris, regnantis hodiè, Orbemque vniuersum exhilarantis, eximiam Sanctitatem, & Innocentiam: & ad Tui, Princeps Eminentissime, qui propiùs illi assides: qui ob morum similitudinem, & veterem amicitiam, & quo zelo flagras in Deum, mira illi animorum consensione coniunctus es: qui tuis consilijs, ac prudentia, Christianam Rempublicam administras: quique omnia ipsorum Patrum, in palæstra ista, solo nutu, suffragia moderaberis; & Purpuram, & Virtutem, & Nomen, & Potestatem, & Amplitudinem, & Fulgorem, & Maiestatem; non tam lumina, quàm mentem attollerent: non tam aciem oculorum intenderent, quàm animos excitarent: non tam parituri Ordini decorem, firmitatem, ac disciplinã, quàm vniuersali Ecclesiæ columen allaturi, Romanis istis Comitijs, tuis sub Auspicijs, ac Nutibus, interessent!

2 Quod fœlix igitur, faustum, fortunatumque sit, omnibus vtile ac salutare, tùm Deo ac Deiparæ quammaxi-

mè acceptum: auſpicatò, Ampliſſimi Patres, peropportunéque vos iſtuc, Dei hodiè beneficio, conueniſtis. Nec me dedeceat, è Receſſu, in quo lateo, quamuis homo nullo numero ſim, has ſiuè gratulationis, ſiuè confirmationis voces emittere. Nam veſtra egregia quidem indoles, & claritas ſanguinis, & in omni facultate ac diſciplina excultum ingenium, & in omni genere Virtutum exercitatio, & florens ætas, & robur virium, & vigor animi; & tam ad ardua ſubeunda, quàm ad gloriam capeſſendam, quæ in omnium ore, & oculis emicat, magna, & prona voluntas; non leuia, non vulgaria, non inania, non communia; ſed ſumma nobis, ſed celſa omnia, ſed ſublimia, ſed admirabilia pollicentur. Theatinum, tametſi è vulgo nomen, quod diuinum Deique ſpectatorem ſonat, & geritis; ac veſtra olim ſanctitudine alijs etiam Religioſis hominibus indidiſtis: Clericorum Regularium ſola ſine addito nomenclatio; qua, primi omnium è Clero editi, ab Romanis Pontificibus inſigniter honeſtamini: admiranda viuendi ratio, quam ad teſtandam oſtendendamque omnibus Dei Prouidentiam, primi & ſoli omnium, inijſtis; vt nimirum vigili Dei curæ ſolùm innixi, à nemine quicquam efflagitetis: ſchema veſtium, quod vos ad Chriſti morem induere, non vno nos opere, ac teſtimonio, demonſtrauimus: Crucis ſignum, quod foribus appingitis, & in ipſo capitis tegmine, ad terrorem hoſtium, omnium oculis, exhibetis: Sanctimonialium Eremus, quam non ſine admiratione Orbis, cum voto nemini exterorum loquendi vnquam, inſtituiſtis: Conceptæ Virginis Eremicolarum Sanctimonialium Scapulare, quod ceu impenetrabilis pelta, vel thorax, vobis modò è Cælo defluxit; & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ beneficio, cuilibet Chriſti fideli poteſtis hodiè benedicere, & elargiri; Chriſti Cingulum, quo præcincti eſtis; & ad quod precarios globulos minimè ad ornatum appenditis, ſed vt interdum manu ac facilè, in laudem Deiparæ, percurratis; & perenne illud carmen; quod, vt vigiles excubiæ, diù noctuque, penè ſoli ſtantes, in Odeo, ſtrenuè ca-

nitis;

nitis; non ad ocium , non ad honores, ac voluptates, non ad seculi negotia, & curas: sed ad Christi Militiam , vos vocat , vos excitat, vos inuitat.

3 Furunt impij: scelestissimi homines Dei proscindere legem, ac Christi Sanguinem protere non verentur: horrenda quælibet facinora , ac flagitia audent, nec pertimescunt: & ipsi Cælestis Patriæ extorres fieri , & se se spontè addicere Gehennæ , non dubitant. Hæretici vesana quadam abrepti insania debbacchantur . Christianorum Principum inter se dissidentium arma vbique sanguinem fundunt: omnia vastant , omnia diruunt, omnia ( proh scelus!) vel igne , vel ferro, demoliuntur . Ac nequissimus Dei hostis diabolus, mille classes ex inferis, in Ecclesiæ Romanæ perniciem, in odium Apostolicæ Sedis , in extinctionem fidei , & animorum internicionem , submittit. Quid agitis? quid moramini? Non est tempus ociandi , sed pugnæ: non coronæ ac præmij , sed laboris . Classicum insonuit: manus conserere oportet, signa cum hoste conferre , vibrare arma, tela intorquere, sagittas excutere, ignem eiaculari, cuniculos moliri, hastilia arripere, machinas adhibere, tormenta explodere, discindere aciem , prosternere, vulnerare, ruere in perduelles, spolia eripere, extollere palmã, triumphum agere, victorias Diuino Numini decantare.

4 Fateor hodiè, quamplures esse Ordinum Religiosorum phalanges: qui pugiles suos non ferro, sed morum sanctitudine muniunt, imbuunt literis, facultatibus instruũt, ac contra Dei hostes toto penè Orbe diffundunt . Nos lætemur , & gratulemur oportet . Sed Hierarchichus ordo seruandus est: & vestra interest , ceu Apostolicos Clericos , in hoc prælio , non postremos , sed primos esse. Reuoluite historias: sanctorum Patrum acta perquirite. Vestrum dumtaxat Ordinem in Basilica Vaticana, vbi nulla vnquã alia Religio exorta est; nõ sine Diuini Numinis nutu , & primò omnium è Clero , à S.Caietano opportunè institutum inuenietis; cùm Lutherus ex inferorum latebris exereret caput: & Religiosam lacernam, tunc nostros ho-

mines induisse, cùm impius ille, Ordinis decorem in propudium vertens, impudentissimè exuerat,& abiecerat; qui tunc non immeritò exclamasse fertur ad suos: *Magnum nobis Roma bellum paratur!* Itanè, vafer ac callide, Theatinorum bellum persentiscis, et pertimescis, ac tute tibi sine errore vaticinaris? Nimirum, haud malè calles, quæ Theatinorum eruditio, pietas, & sanctitas sit. Paucissimi sunt, inquis: sed contra me sibi primùm bellatores elegit Deus, qui suos milites ex alto virtutibus induere solet, vt vnus persequatur mille, & duo fugent decem millia: eruntque veluti Gedeonis acies, Iosuè,& Machabæorum exercitus; qui non tam multitudine, ac numero, quàm virtute, & in Deum confidentia, decertabant!

5 Sed quòd refert me expediri perpaucis, nec morari diutiùs, & tædio vos afficere; quæ nam vestra hæc militia est, & ars tam egregiè ac mirificè dimicandi, vt vestro etiam tubarum clangore, prosterni hostes, & muri Iericho corruere videantur? Porrò Militia, quam profiteri,& bellum quod his temporibus vos inire, & adoriri debetis, est intentè vereri, & ardenter amare Deum: est omnem conijcere in Deum spem,& mentem in eo fixam habere; ac omnia ad eius gloriam agere. Est terrena omnia spernere, & vana desideria proculcare; nec cogitare de Mundi rebus, aut quicquam ex eo cupere ac velle. Est omnem animi leuitatem, affectionem, æmulationem, contentionem, ab se repellere: est reijcere à se omnem solicitudinem, ac corporis curam: est quotidiè feruentiùs adipiscendam ad perfectionem eniti: est candorem animi ac conscientiæ, hoc est, Dei in vobis ipsis imaginem nulla labe vnquam afflare. Est mentalem Orationem, studium Virtutum, & Conscientiæ examen, quod Constitutiones nostræ tantoperè commendant, numquam deserere: est horis omnibus apud se, & diù noctuque statis temporibus in Odeo, laudibus diuinis insistere: est vbique Diuini Numinis, mentis oculis, præsentiam intueri: est procurare Dei cultum, Templorumque nitorem; tum sacrorum Rituum, & Cæremo-

nia-

niarum obseruantiæ, cuius magna ex parte authores fuere Maiores nostri, diligenter incumbere.

6 Bellum, Patres, inquam, quod vos agere oportet, est omnibus Dei timorem incutere. Est Christi legem, ac disciplinam, populos edocere. Est adhortari omnes ad Sacramentorum frequentiam, eaque administrare sanctissimè; & præsertim, magno feruore animi, & zelo, fidelium Confessiones excipere: est sacris operari quàm feruidissimè; hoc est, Diuina & tremenda quotidiè Mysteria Sacerdotes; Clericos verò, & Laicos fratres, interdum, Communionis Sacramentum, cum magna animi munditie, præparatione, ac diligentia, obire. Est spiritualia exercitia in solitudine peragere, ac alijs suadere, vel tradere. Est componere diffidentium lites, odia extinguere; flagitia, & scelera, ac omnes abusus eliminare. Est instillare, cordibus omnium, studium atque deuotionem erga B. Virginem: monere omnes vt horis singulis eandem implorent; immaculatamq; eius Conceptionẽ passim vt extollant ac celebrent: & veluti contra omnia mala præsentissimum amuletum, sanctissimæ eiusdem Conceptionis Scapularia distribuere. Est Sanctimoniales ceu Christi sponsas vereri, nec nisi diuinis sermonibus alloqui, & excolendam ad animi puritatem, & ad Dei feruentiùs amorem semper incendere. Est pias inter vos sæpe obire Collationes; & pro pijs fidelibus sacras Sodalitates, siuè publicas, siuè secretas, instruere. Est Dei verbum vbique serere, vbique deprædicare; & tam declamitare sacris in ædibus, in foris, & in plateis; quàm ad peccatores vehementiùs exterrendos, in Cœmeterijs; cuiuslibet verò Concionis, siuè sermonis, ac disputationis initio, laudare sanctissimum Sacramentum, & immaculatè Conceptam Virginem; vt in Sicilia, & Neapoli, est hodiè nostri moris: ad idenque, manè quotidiè, duodecim maioris campanæ ictibus, populos excitare. Est publicis in calamitatibus, omnium beneficio, præsto esse; conferre opem, quas vires ferunt; & populos ad pœnitudinem ac tolerantiam cohortari. Est

Mulierum vitare consuetudinem, familiaritatemque longè repellere: nec nugari cum hominibus secularibus; sed modestè, grauiter, & seuerè præsertim cum mulieribus, agere. Est cum externis Religiosis fouere pacem; & omnem illis honorem, ac libenter opem impendere. Est inopes iuuare, instituere, & admonere, vt Theatinorum more, se Deo dedant, & fidant, ac modis omnibus Dei regnum quærere non omittant. Est sacris literis, linguarum cognitionibus, ac scholasticis præsertim disciplinis, vt dignè Dei ministerium gerant, iuniores Clericos erudire, ac benè Nouitios instituere. Est nostrorum Patrum veterum more, frequenter in Triremibus, in Custodijs, in Nosocomijs exerceri, & ex S.P.N. Caietani exemplo, ad Lue infectis inseruiendum, primos accurrere: ac diu noctuque, cùm accersimini, assistere animam efflaturis. Est, ad eruditionem fidelium, pios perscribere Codices, ac sacra Volumina elucubrare. Est diebus Dominicis, aut secundis singulis ferijs, sanctissimo Sacramento exposito patenter in ara, & oratione publicè indicta, in mortis agone luctantibus opem ferre; ac iuuare animas, quæ flammis piacularibus expiantur: tùm alijs diebus, vel ad recolendam Christi Domini Passionem, vel ad Sanctissimum adorandũ, vel à bacchanalibus, spectaculis, ac insanis ludis, auocandos populos, in Dei Templum ad sacras celebritates allicere. Est Apostolicas obire Expeditiones, confutare Ethnicos, Hæreticos expugnare, profligare, subodorari, ac detegere; subdolis sanctimoniæ simulatoribus detrahere laruas; & adducere omnes ad bonam frugem. Est tam Eremicolarũ Sanctimonialiũ Gynæcea, & Virginũ Asceteria condere, quàm Recessus; & illic nostris hominibus ad versandum, aut aliquot eò dies secedendũ, calcar adijcere.

7 Hoc grande quidem Prælium est. Sed aduertere vos oportet, cordi quidem imprimere, ac omnibus inculcare, quòd non tantùm foris, & oculis externorum, sed domi præsertim, vt dixi, primò ac maximè dimicandum, ad Dei gloriam, ad terrorem dæmonum, ad lætitiam Angelo-

gelo-

gelorum. Et in hoc pugnæ genere quàm strenuè bellant, qui cor Deo mundum offerunt! Qui inter opera, & labores, feruentissimos quosdam amoris actus eliciunt, aut attollunt ipsi mentem ad Deum! Qui pro eius honore, & lucro animarum, millies sanguinem profundere optant! Qui vbique, cum omni modestia, & disciplina, versantur! Qui manus continent, frænantque oculos, & linguam cohibent ac coercent: colunt silentium; & cùm aliquid opus est, submissa semper voce loquuntur! Qui cælestium commentationibus ac diuinis laudibus assuescunt! Qui cum omnibus pacem, ac mentis tranquillitatem custodiunt! Qui nulli detrahunt, ac facilè cuilibet cedunt! Qui paupertatem diligunt: impenseque sectantes humilitatem, vilissima ministeria non defugiunt! Qui cupiunt subesse alijs, non præesse: & non ad oculum, & homini seruiunt, sed Deo soli student vt placeant: nec tempus ipsi aut fallunt, aut terunt; sed semper boni aliquid operantur. Qui sunt subditi, & cæca superioribus obedientia parent: nec vocati inchoatam perficere literulam audent! Qui sunt Præpositi, & subditorum necessitatibus, siuè animi siuè corporis sint, accuratè prospicere, ac omnes semper abusus auellere, & extirpare non prætermittunt; veluti sui muneris rationem, æterno Iudici Deo, in die nouissimo exactissimè reddituri. Hoc, inquam, peregregium bellum est: & Deus, & Deipara, & Cælites, hoc spectaculo quàm oblectari soleant, quis dignè sufficiat explicare?

8 Hic tamen vos, Amplissimi Patres, admonendos omnes existimo, ac summis etiam precibus exorandos (vt acriùs semper in acie dimicetis, & omnes ab hostibus reportetis in dimicando victorias) ne hilum quidem, ab illa sanguinis claritate, ac nobilitate generis, à maioribus vestris accepta, excidere patiamini, aliquem nimirum in Ordinem admittentes, qui stirpe ab ignobili progenitus sit: quod non vanitati ac superbiæ est adscribendum: sed vt quisquis in vestram Religionem adsciscitur, generosus sit miles, & maiori animi constantia Theatino Ordini nomen

tradat,

tradat, nec à veteri sanctitudine ac virtute degeneret, & vt indignum perpetrare aliquid erubescat; tùm palàm constet, ex animo, terrena se se omnia contempsisse. Deindè, vestris vnquam in domibus, Apostolicam illam viuendi formam, à S.P.N. Caietano cum Orbis admiratione susceptam, ne quicquam imminuatis; ne vos sanè contingat, omnem Theatini Ordinis gloriam & splendorem amittere. Vosque multùm adhortor, ne quamplurimos, ac passim omnes qui cupiunt, tametsi nobiles sint, & literis apti vel eruditi, sed illos dumtaxat, qui sunt egregia indole & ingenij facilitate conspicui, in Ordinem vestrum excipiatis. Præstat enim Theatinæ Religionis alumnos, à Deo verè delectos, non numero ac multitudine, sed virtute ac indole insignes esse. Demum cùm ad Ethnicos aut Hæreticos expeditiones obitis, omnem locum illustrare potestis, & quot illic obuios habetis instruere. Sed in Catholici Orbis Prouincijs, vbi quamplurimi alij viri Religiosi non desunt, vobis hodiè paucioribus expedit, solùm in splendidioribus ac frequentioribus Vrbibus domicilium figere ac Cœnobium excitare: vt maiore cum decore versemini, & sacris administrandis, iuuandisque proximis ac populis, tutiùs incumbatis. Demum oro, vt ante omnia quæ Ordinem vestrum plurimùm iuuant, Eremicolarum Monialium Gynæceum summa vigilantia diligentiaque regendum & administrandum curetis: nec destinetis aliquem earundem confessionibus audiendis, vt ritè eas dirigere valeat, nisi in commentatione Diuini Numinis, & in Eremitica vita diu ac bene versatus sit: nam deridiculũ planè esset, & nullo prorsus modo ferendum, eas instruere & instituere velle, qui Dei amore non ferueat, qui vitæ suæ commoda quærat, & qui silentio, solitudine ac recessu non oblectetur. Propterea Mater Nostra tam enixè rogauit, vt qui earundem directioni præfici & addici deberet, non temerè quisquis obuius esset, sed ex toto planè Ordine perquamstudiosè deligeretur: vt eius vita illarum professioni respondeat: & quod ipse primùm ebibit, hausitque cœlitùs à Deo, ac opere impleuit,

illa-

illarum omnium cordibus, ignitis planè verbis, instillet.

9 Cæterùm, vos Patres, qui veterani Milites estis, omni robore instructi, cunctis bellicis instrumentis armati, & ad istius Eminentissimi Vestri Ducis nutum intenti, nunc gloriosiùs in Comitijs, & in ista quidem area, Romanaque palæstra, & acie, mirificè decertabitis. Acrius tamen, & periculosius erit bellum, nec vna cum legione diaboli confligetis: quæ tamen facillimè prosternentur; si Deum in singulis actibus intuemini: si suffragiū fertis, non vt hic aut ille suggesserit; sed vt vosmet è Dei gloria, & honore esse, perspicietis; & vt Deo soli tulisse, mortis tempore, præmium accepturi gaudebitis. Si nimirū, cùm de electione cuiusquā agitur, non adblandiri, & obsequi hominibus (quod perditorū hominum, Deo inuisum, & Ordini perniciosissimum est) sed quod Deo libet, & Ordinis decori, atque promouendæ disciplinæ proficuum; id solùm, cunctis animi neruis, vos obire, & agere intenditis. Hoc est, si cunctis in rebus non vestrū quæritis commodum, & honorem, sed Dei gloriam, & Ordinis dignitatem, & emendationem defectuum, & vitiorum expulsionem, & exaltationem virtutum, ac collapsam vbiq; reuiuiscere disciplinam, pro viribus enitimini. Si in omni actu magno, vel minimo, Deum lædere, & afflare conscientiam pertimescitis: si sciolis, tumidis, perniciosis, & ambitiosis hominibus, Diaboli administris, cuius ij militiam agunt, & non Ordinem resarcire, ac iuuare, sed euertere ac perdere, & se solos extollere concupiscunt (qui nescio in vestro numero an sint, sed in omni sanctorum quidem hominum coetu planè non desunt) ostium ad honores obstruitis; & omni vos robore ac conatu, veluti æneum murum obijcietis.

10 At hæc sedulò omnia obiri posse, arduū, inquit aliquis, et difficillimum est! Arduum, difficillimum, inquis? Ego verò suauissimum, leuissimum, facillimum putò: et vos, Patres, qui Deum colitis ac veremini, id ipsum mecum proculdubiò existimabitis. Perquirat ipse, quam olim formam Primores nostri in his conuentibus vsurpauerint. Spectet is, qualis fuerit Summi Pontificis regnantis hodiè, Vatica-

nis

nis in Comitijs, innocentia. Et qui necessarias virtutes, et agendi modū discere velit; Eminentissimus iste vester Princeps, Patronus, ac Præses, intueatur, quanto cum vitæ exemplo resplendeat: qua integritate, prudentia, sapientia, fortitudine, & zelo, sacras Legationes obierit; et in omni Congregatione quotidiè quomodò suffragium ferat; ac tam Ditionem hodiè Ecclesiasticam, quàm Christianam etiam Rempublicam, temperet: et vt alia omnia prætermittam, quæ recensere, vel indicare perlongum esset; perquirat, et audiat, quanta cum omnium admiratione, et exemplo, sacris ipse Comitijs interfuerit; collecto scilicet aliquot exemplariū, et sanctissimorum Cardinalium cœtu: qui cùm alij augenda in factione feruerent, et studiosè vota perquirerent; Deo ipsi placidè ac tranquillè sic adhærebant, vt cunctarum rerum obliti nonnisi Horis Canonicis in Odeo recitandis, & sacris Collationibus obeundis, ad omnium stuporem, incumberent. Facite igitur, secundùm exemplar, quod Vobis hodiè in isto Quirinali Monte monstratum est: & facilè suauiterque gerentur à vobis omnia, in Dei O. M. Gloriam, in Deiparæ honorem, in Theatini Ordinis incrementum, & in istius Apostolicæ Sedis, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ exaltationem, ac dignitatem. Illud verò rursus hìc tacere non possum; semperque vos memoria retinere, nec obliuisci debetis: vt cùm mane quotidiè expergiscimini, vel cubile noctu repetitis, aut cùm interdiu quidpiam operamini, & præsertim in aulam istam ad Comitia conuenitis; suauissimum illud carmen tàm ore quàm corde pronuntietis (cuiusuis præsertim sermonis, aut disputationis in fine vel initio proferendum) *Laudetur sanctissimum Sacramentum; & sit benedicta semper ab omnibus B. Mariæ Virginis Puritas, & immaculata etiam Conceptio,* vt

# D I X I.